APHORISMI HIPPOCRATIS

Methodice diſpoſiti.

Quibus accedit

TRACTATVS DE Extractione fœtus mortui PER VNCVM.

Auctore

NICOLAO FONTANO,

Medico Amſteldamenſi.

Amſteldami,

Typis IACOBI CARPENTIER.

CIↃ. IↃ. C. XXXIII.

Digitized by Google

lluſtri, Generoſo, ac Stre-
nuo Domino,

LVDOVICO de NASSOV
Domino in Leck & Beverwerd,
Chiliarchæ Fortiſſimo.

NEC NON

Nobiliſſimo, Ampliſſimoque Viro,

D. IOHANNI POLYANDRO
à KERCKHOVEN, Domino
in Heemvliet, Supremo venationis Præfecto in Hollandia & Weſtfriſia.

DE Republica literaria optimè merentur illi, qui artis longitudinẽ, quam vitæ brevitas condignè emetiri non let, compendioſè contrahunt, ne vaſto ſcientiarum mari navintes citra fœlicem exitum nau-

ſragi ſubſideant. Id præſtitit in ſua arte Medicorum Princeps Hippocrates, qui libris Aphoriſmorum univerſam Medicinam ingenioſe complexus eſt: ſed opuſculo tam neceſſario id unicum deerat, ut Aphoriſmi de omnibus ad eam artem pertinentibus accuratè concludentes ad certa capita methodicè redigerentur. Eum laborem cum pro viribus ſuſceptum perfecerim, viſum eſt, Viri Magnifici, libellum hunc, juris publici jam futurum, vobis conſecrare, poſtulante id & amicitia noſtra & merito veſtro. Nam cum favoris ac benevolentiæ veſtræ tot documenta perſpexerim, verebar ego, ne, ſi nullum gratitudinis ſignum ederem, beneficiorum veſtrorum memoria obliterata videretur. Putavi ergo eſſe officii mei, publi-

ca pro-

profeſsione ſancire amicitiam
ram, quam dignitatis veſtræ
nemores mecum coluiſtis hacte-
familiariter, ac relinquere vo-
mei erga vos animi ac obſer-
tiæ ſtabile monumentum. Ac-
it authoritas veſtra, & nominis
ndor, qui cum apud omnes ſit
honore ac pretio tutiſſimum
hujus libelli adverſus invido-
a morſus munimentum. Suſ-
te ergo viri Magni, & Patro-
honorandi, leve hoc munuſcu-
, nec ideo deſpicite, quia exi-
m eſt, ſed potius quia offerens
d, ſe totum vobis devovet, pa-
inio veſtro protegite, meque,
hactenus feciſtis, amare perſe-
ate. Dabam Amſteldamo Ka-
lis Iulii CIƆ. IƆ. C. XXXIII.

Nobiliſſimæ ac Ampliſſimæ dignitatis Veſtræ

Obſervantiſſimus

NICOL. FONTANVS.

 In

In Aphoriſmos Hippocraticos

A

NICOL. FONTANIO MED. Methodicè diſpoſitos.

HIPPOCRATES longam Medicorum dixerat artem,
Et pariter vitam dixerat eſſe brevem.
Diſpoſuit, fecitque brevem FONTANIVS artem.
Iam numeras vitæ tempora longa tuæ.

P. SCRIVERIVS.

In Commentariolum

NICOLAI FONTANI MED. De mortui fœtus extractione.

NOn ſemper [1] ridente patet Cithereïa vultu,
Quandoque torvo nos tuetur lumine;
Quum minimum Lucina favet, ſperataque proles
Enecta, matrem parturigine enecat.
Ducitur ante oculos numeroſa puerpera noſtros.
Puerpera? erro: non enim puerpera
Quæ cum prole perit. Quamquam vicinia ploret,
Quamquam maritus neſciat luctus modum,
Crudeleſque deos vocet, & convicia fundat,
Effertur uxor, cumque matre puſio
Nondum viſus adhuc. Buſtum ipſa miſerrima nati
Buſto altero cum ſarcina reconditur.
Heu, paracerba cinis! Pueri jactura ferenda,
Sed blandioris vix ferenda conjugis.
Hoc ne ſæpe malum, geminataque Parca recurrat,
Ne ſic mariti bis fleant identidem,

Egreditur

1. φιλομμειδὴς, epitheton Veneris.

ditur medico ſolers Fontanius unco;
Fœtumque, fatumque extrahit puerperæ;
ahiturque dies. Ridet çum Matre Cupido,
Gameliæque 2 Vigines, & Gratiæ.
N·C nimium charæ conjux ne parce maritæ,
Complexibuſve dulcibus te ſubtrahe,
quam adferre tuæ cauſſam videaris amicæ,
Eamque pene trudere ad Stygis domum.
bene formoſam ſervet ſine fraude puellam
Ad ſigna miles infrequens Adoneus.
id metuas, non eſt: nam cum diſcrimine mortis
Magiſter uncus hic tibi metum excutit.
difficili partu tua Caja laboret,
Nihil redundet in caput periculi.
iliatores auſim ſpondere lacertos,
Auſim faventes polliceri 3 Nixios.
(impune licet, modo ſi libet) utere vere,
Et rumpe (primi dum fuunt anni) latus.
age: 4 linteolo cornix velabitur albo;
Paterque, ſalva matre, gratulantibus
ula mandabis miſceri pluribus ovis.
Et 5 cinnamomo ſaccharoque condies,
icier Medico, ſi non celaveris artem.
Virtus ſibi ipſa luculentum præmium.

Vide Feſtum Pompejum in hac voce.

Adi Feſtum in Nixii dii.

Symbolum puerperii hodie apud Belgas in uſu: ut olim apud Romanos coronæ in foribus ſuſpenſæ

Caneel. Kandeel.

P. SCRIVERIVS.

F 4 In

In Aphoriſmos magni
HIPPOCRATIS,

Cura & induſtria doctiſſimi viri

NICOL. FONTANI MED.

in ordinem & claſſes redactos.

HVc Medici conferte gradum, perpendite voces,
Quas voluit Coüs vos didiciſſe ſenex.
Vocibus his ſani libratur machina mundi.
Vocibus his languens invenit æger opem.
Vocibus his lentæ pelluntur corpore febres,
Et partes obeunt peſque manuſque ſuas.
Hic venter mandata capit, pars neſcia recti,
Legibus hic certis fœda ſaburra fluit.
Quales & quanto decedant pondere feces
Scribitur, & numeris ſtat Medicina ſuis.
His quoque præſcriptis capiet ſolatia, quiſquis
Aut faciem durum, aut molle cacantis habet.
Omne nimis vitium eſt, ridet natura morantes.
Nec nunquam, aut ſemper, qui ſapis, ure, ſeca.
Nunc ſpectator eris morbi, nunc providus actor.
Nunc replere bonum, nunc vacuare bonum.
Quæ bene ſi facies, magnus dicêre Machaon,
Si malè, cum lucris emorietur honos.
Vena, caput, nervi, guttur, præcordia, pulmo,
Exoptant curis convaluiſſe tuis.
Omnia cum poteris, duo Te non poſſe, fatebor;
Ne ſit vita brevis, longus in arte labor.

C. BARLÆVS.

In Extractionem fetus

E R V N C V M.

ſti concubitus, vos læti Cypridis ignes,
  Quàm triſti Veneris fabula fine meat.
it infelix genitrix, & baſia mater
  Ah nimium dura conditione luit.
hitur moriens uncis crudelibus infans,
  Et nondum natus dilaceratur homo.
ı cuperet nullos infans ſic tractus amare,
  Aut alio naſci ſe potuiſſe modo.

C. BARLÆVS.

In Tractatum de Vnco

NICOLAI FONTANI

ri ornatiſſimi, Medici laborioſiſſ.
Amici & collegæ dilectiſſimi.

rga boûm cui terga premunt, durantque labori
ıgenuo, dum prima ætas, dociliſque vireſcit;
at egregios illi Dea Pallas honores,
Virum ſuper aſtra vehit, Cyllenius artes
um varias opibus beat uberis urnæ:
rum duris urget Metanœa lupatis.
or & ſtudium movit FONTANE, quod Uncis
ıaras morbo, qui viſcera tendit ad ima.
ıirum eſt, arctis etenim frænatur habenis
yo viventis matris, ſed non genitricis.
omen MEDICI MANUS ALTERA competit, auſis
ıus VRE, SECA, & DOCTORI fundito grates,

AVGERIVS T. F. Clutius,
Medicinæ Doctor.

IN

In Vncum Extractionis Fœtus Mortui,
D. NICOLAI FONTANI.

NE Matrem occidat; Matris qui vixit in alvo,
Fontanus ferrum monſtrat in auxilium.

G. HEERMANS I. V. D.

IN LIBELLVM
Excellentiſſimi Medici
D. NICOLAI FONTANI.

CVm ſit vita brevis; ſed longa ſcientia, multum
Proderit, hanc methodo ſi breviore doces.
Id Medicis præſtant hujus præcepta libelli,
Qui ſuperat fructu quodlibet artis opus.
Cernis ut in tabulâ leges Hippocratis, apto
Diſpoſitas, ante hac quo caruére, modo.
Præſcribitque vias, utero quî prodeat infans
Mortuus, ut genitrix indiget artis ope.
Ergo vive diu, methodum, FONTANE, ſalutis
Servandæ doctâ qui brevitate doces.

IOH. CHRISTENIVS.

In

doctiſſimos Hippocratis Apho-ſmos, ab expertiſſimo Med. Doctore,

NICOLAO FONTANO feliciter in ordinem digeſtos.

Rdine cuncta placent. Vaſtum Deus ordine mundū
Ex nihilo in vultus diſpoſuit varios.
: cælum ſurſum firmatur, terra deorſum,
Aër in medio, mollis & unda fluit.
linc Sol radios, ponit nova cornua Luna,
Scintillant tremulis ſidera luminibus.
c annus menſes per bis ſex volvitur, anni
Quinque creant luſtrum Martia Roma tuum.
.ſtris bis-denis ſæcli concluditur orbis,
Chiliadem annorum ſæcla decem numerant.
:dine ver flores, meſſis producit ariſtas,
Libra merum, niveas Amphora fundit aquas.
oc ſine non volucris, non piſcis, non pecus exſtet,
Natura aut quidquam procreet omniparens.
)rdine confuſo, cùm plebs furibunda Senatus
Arripit imperium, ſacra, profana ruunt.
.rma, viroſque canens, cædenſque exercitus hoſtem,
Ordinibus ruptis, triſte cadaver erit.
Quis faber in ſummo ponat fundamina muro,
Aut terræ claudat culmina viſceribus?
Pone foros, ubi clavus erat, clavumve gubernet
Indoctus venti, naufraga tranſtra fluent.
Si caput in ſedem migret pedis, in capitis crus;
Turpior hoc monſtro nulla Chimæra foret.
Tale quid, heu! doctis Aphoriſmis accidit, olim
Queis ſcripſit Cous lemmata curta ſenex.
Lemmata, purgato quovis meliora metallo,
Lemmata, gemmatis condecoranda notis,
Lemmata, vix paucis Phyſices perſpecta Magiſtris,
Turgida Secretis lemmata pharmaticis.
Sive hæc longa dies, ſtupidive incuria ſcribæ
Turbarit, claro morſve inimica viro

Abſtulerit

Abſtulerit ſpatium recta ſtatione locandi;
Non erat in toto corpore forma decens.
Vltima erant primis permixta, & prima ſecundis,
Finis principio, principium medio:
Donec FONTANVS ſortem miſeratus acerbam
Accurrit, fauſtas applicuitque manus.
Ordine qui luſtrans, diſpungens ordine cuncta,
Impoſuit propriis ſingula membra locis.
Cùm ſubitò à ſummo talo formoſus ad imum
Apparet fœtus, qui modò fœdus erat.
Veſtibus hinc niveis ornatus & arte typorum
Chirurgis æquè perplacet, ac Medicis.
Progeniem Pater ipſe ſuam miratur, & ardet,
Frontis & in medio tale epigramma locat:
Quòd ſoboli noſtræ faciem Fontane decoram
Donaſti, & reliquis artubus inſit honos;
Aram votivam ſtatuam tibi Solis in æde
Hippocrates Cous Nicoleo Batavo.

GREG. de AYALA.
Bergezomius.

In Vncum ejuſdem.

IN vulva exſtinctus Matrem ne puſio perdat;
Quod natura nequit, nunc didicit Medicus.

Idem.

APHO-

APHORISMI
HIPPOCRATIS,

Per ordinem in certas claſ-ſes diſpoſiti.

Omnibus Medicinæ, Chirurgiæque ſtudioſis valde utiles, & ſummopere neceſſarii.

Auctore

NICOLAO FONTANO,
Medico Amſteledamenſi.

Medicinæ Studioſis S.

EA eſt Aphoriſmorum præſtantia, ut qui eos probè intellexerit, non immerito magnum in Medicina progreſſum feciſſe videatur. In iis transferendis Viri doctiſſimi; ut eximius olim Muſa Braſſavola, Ioannes Heurnius, Adolphus Vorſtius, vir ſane latinè, græceque apprime doctus, & multi alii inſudarunt. Quibus quidem magnum Medicinæ ſtudioſis præſtitere beneficium, & majus præſtitiſſent, ſi gravioribus curis non impediti prædictos Aphoriſmos in certum ordinem redegiſſent. Nam ſæpiſſime ſtudioſis Aphoriſmum aliquem quærentibus evenit, ut multum temporis conſumant, nec tamen inveniant. Quod cùm laborioſum & tædioſum ſit, tironibus præcipuè: mihi viſum eſt huic malo occurrere, certa Aphoriſmorum ſerie per varias artis medicæ materias, univerſique corporis affectus diſpoſita. Id quidem ante me feciſſe Rodolphum Magirum lubens fateor, ſed ordine obſcuriori & non tam facili. Octavus quoque à me additur juxta argumenti cujuſque exigentiam, ut quiſquis Aphoriſmorum ſtudioſus ſtatim ad manus, id, quod quærit, habeat. In his verſionem Leoniceni ſecu-

tus ſum, quam deinde Iulius Martianus Rota, & Auguſtinus Gadaldinus ex compluribus Græcis codicibus illuſtrarunt. Valete, noſtroque labore cum fructu utimini, eumque boni conſulite.

Veſter

Nicol. Fontanus.

DIVINI

HIPPOCRATIS COI LEX.

MEdicina omnium artium præclariſſima eſt. Verùm propter ignorantiam & eorum qui eam exercent, & eorum qui temere hos ipſos judicant, omnium artium propè infima cenſetur. Qui quidem error ab hac potiſſimum cauſa provenire videtur. Soli namque Medicinæ nulla pœna in Reb.publicis ſtatuta eſt, prætèrquàm ignominiæ. Verùm hæc non lædit eos qui ex ea conflati ſunt. Simillimi enim hujuſmodi Medici ſunt perſonis mutis, quæ in tragœdiis introducuntur: quemadmodum enim illi

illi figuram quidem, & habitum, ac perſonam hiſtrionum referunt, hiſtriones autem non ſunt: ſic & Medici fama quidem & nomine multi, re autem & opere valde pauci. Quiſquis enim Medicinæ ſcientiam ſibi vere comparare volet, eum hiſce niti oportet, natura, doctrina, loco ſtudiis apto, inſtitutione à puero, ſtudio, & induſtria, atque tempore. Primum igitur omnium natura opus eſt: natura enim repugnante irrita ſunt omnia. Eadem vero viam ad optima commonſtrante, artis doctrina contingit. Quam ipſam cum prudentia ſibi comparare oportet, ita ut à puero inſtitutio accedat, idque in loco à natura ad diſciplinam accommodato. Amplius autem & induſtriam adhibere oportet, eamque ad multum temporis, ut ſcilicet diſciplina in naturam verſa ac veluti ingenerata, feliciter & copioſe fructus proferat. Qualis enim eorum, quæ terra producit, conſideratio eſt, talis etiam Medicinæ cognitio. Natura enim noſtra, velut ager eſt, dogmata præceptorum veluti ſemina ſunt. Inſtitutioni à puero cum eo convenit,

quòd opportuno tempore ſemina terræ committere oportet. Locus autem in quo diſciplina contingit, eſt velut ambiens aër, è terra naſcentibus nutrimentum præbens. Studium autem cultura eſt. Tempus poſtremo hæc omnia corroborat, ut perfecte enutriantur. His igitur ad artem medicam allatis, & vera ipſius cognitione comparata, tandem per urbes ambulando, non ſermone tantum, ſed & opere Medicos haberi convenit. Imperitia vero malus theſaurus eſt, & infelix opulentia his qui eam poſſident, tum opinione ipſa, tum re vera, tranquillitatis animi & lætitiæ expers, timiditatis, & inconſiderantiæ nutrix. Et timiditas quidem impotentiam, inconſiderantia vero ignorantiam artis arguit. *Duo enim ſunt, ſcientia & opinio, quarum illa ſcire facit, hæc ignorare.* Cæterum res ſacræ ſacris hominibus communicantur; prophanis id fas non eſt, priuſquam ſcientiæ orgiis initientur. *Vale.*

EIVS

EIVS
IVSIVRANDVM

Pollinem Medicum, & Æſculapium, Hygeamque, ac Panaceam juro, Deoſque omnes itemque Deas teſtes facio, me hoc jusjurandum, & hanc conteſtationem conſcriptam pro viribus, & judicio meo integre ſervaturum eſſe. Præceptorem ſanè, qui me hanc edocuit artem, Parentum loco habiturum, vitam communicaturum, eaque, quibus opus habuerit, impertiturum: eos item, qui ex eo nati ſunt, pro fratribus maſculis judicaturum, artemque hanc, ſi diſcere voluerint, abſque mercede, & pacto edocturum: præceptionum, ac auditionum, reliquæque totius diſciplinæ participes facturum, tum meos, tum præceptoris mei filios, imo & diſcipulos, qui mihi ſcripto caverint, & Medico jurejurando addicti fuerint, alii verò præter eos nulli.

Cæterum quod ad ægros attinet ſanandos, diætam ipſis conſtituam pro facultate, & judicio meo commodam, omneque detrimentum, & injuriam ab eis prohibebo. Neque verò ullius preces apud me adeo validæ fuerint, ut cuipiam venenum ſim propinaturus, neque etiam ad hanc rem

conſilium dabo. Similiter autem neque mulieri talum vulvæ ſubdititium, ad corrumpendum conceptum, vel fœtum, dabo. Porrò prætereà & ſanctè vitam, & artem meam conſervabo. Nec verò calculo laborantes ſecabo, ſed viris Chirurgiæ operariis ejus rei faciendæ locum dabo. In quaſcunque autem domos ingrediar, ob utilitatem ægrotantium intrabo, ab omnique injuria voluntaria inferenda, & corruptione, quum alia, tum præſertim operum venereorum, abſtinebo: ſive muliebria, ſive virilia, liberorumve hominum aut ſervorum corpora mihi contigerint curanda. Quæcunque verò inter curandum videro aut audiero, imò etiam ad medicandum non adhibitus, in communi hominum vita cognovero, ea, ſi quidem efferre non contulerit, tacebo, & tanquam arcana apud me continebo.

Hoc igitur jusjurandum mihi integre ſervanti, & non confundenti, contingat & vita, & arte feliciter frui, & apud omnes homines in perpetuum gloriam meam celebrari. Tranſgredienti autem & pejeranti his contraria eveniant.

APHO-

APHORISMI
HIPPOCRATIS
in certa capita diſpoſiti.

Prior numerus Aphoriſmos, poſterior librum denotat.

VITA.

Vita brevis, ars longa, occaſio præceps, experimentum periculoſum, judicium difficile. Nec ſolum ſeipſum præſtare oportet opportuna facientem, ſed & ægrum, & aſſidentes, & exteriora Aph. 1. lib. j.

Obſervationes quædam perpetuò utiles.

Quoſcunq; morbos medicamenta non ſanant, ferrum ſanat; quos ferrum non ſanat, ignis ſanat, quæ ignis non ſanat, ea ſunt incurabilia. 6, viij.

Quibus quis aſſuevit, ea fert facilius, etſi deteriora ſint inſuetis. Oportet igitur ad inſueta permutari. 50, xj.

Plurimum atque repente evacuare, vel replere, calefacere, vel r. fri-

gerare, ſive quovis alio modo corpus movere, periculoſum: quia omne nimium eſt naturæ inimicum: ſed quod paulatim fit, tutum eſt, tum aliàs, tum cum ab altero ad alterum tranſitus fit. 51, ij.

Qui conſueti ſolitos labores ferre, & ſi fuerint imbecilles & ſenes, non conſuetis fortibus atque juvenibus facilius ferunt. 49, ij.

In omni corporis motu, ubi laborare cœperit, quies ſtatim laſſitudinem aufert. 48, ij.

Spontaneæ laſſitudines morbos prænuntiant. 5, ij

Habitus exercitatorũ, qui ad ſummum bonitatis attingunt, periculoſi, ſi in extremo conſtiterint. Neque enim poſſunt in eodem permanere, neque quieſcere. Cum vero non quieſcant, neque poſſunt proficere in melius: reliquum eſt igitur ut decidant in deterius. His de cauſis, bonum habitum ſtatim ſolvere expedit, ut corpus rurſus nutriri incipiat. Neque compreſſiones ad extremum ducendæ: (periculoſum enim) ſed qualis natura fuerit ejus qui debet perferre, ad hoc ducere convenit. Sic & evacua-

evacuationes quæ ad extremum deducunt, periculoſæ. Et rurſus refectiones, cum extremæ fuerint, periculoſæ. 3, j.

Qui natura admodum craſſi ſunt, citius intereunt, quam qui graciles. 44, ij.

Qua parte corporis ſudor eſt, ibi ſignificat morbum. 38, iiij.

Et qua parte corporis calor, aut frigus, ibi morbus. 39, iiij.

In morbis minus periclitantur, quorum naturæ, aut ætati, aut habitui, aut tempori magis morbus, quam quibus ſecundum nihil iſtorum congruit. 34, ij.

In quovis morbo partes ad umbilicum, & imum ventrem attinentes, craſſitudinem habere melius eſt: vehemens autem extenuatio & eliquatio, pravum. Sed & hoc quoque ad inferiores purgationes periculoſum. 35, ij.

Vbi in toto corpore mutationes, & ſi corpus refrigeretur, vel rurſus caleſiat, vel color alter ex altero fiat, longitudinē morbi ſignificat. 40, iiij.

Qui ſtrangulantur, ac diſſolvuntur nondum vero mortui ſunt, non refe-

runtur, quibus ſpuma circa os fuerit. 43, ij.

Omnia ſecundum rationem facienti, ſi non ſuccedat ſecundum rationem; non eſt tranſeundum ad aliud, ſtante eo quod à principio viſum eſt. 52, ij.

Extremis morbis extrema exquiſite remedia optima ſunt. 6, j.

Externorum uſus.

CAlidum, ubi quis ſæpius eo utatur hæc mala affert, carnium effœminationem, nervorum incontinentiam, mentis torporem, profluvia ſanguinis, animi defectiones. Hæc ad quæ mors. 16, v.

Calidum ſuppuratorium, non in omni ulcere magnum ad ſecuritatem indicium, cutem mollit, extenuat, dolorem ſedat, rigores, convulſiones, & diſtentiones mitigat: & ex iis, quæ ad caput attinent, ejus ſolvit gravitatem: plurimum autem confert oſſium fracturis, ſed nudis præcipue, eorumque maximè qui in capite ulcera habent, & quæcunque à frigore moriuntur, vel ulcerantur, & herpetibus exedentibus, ſedi, pudendis, utero,

utero, veſicæ. His calidum amicum, & judicans; frigidum inimicum & perimens. 22, v.

In his frigido utendum, unde fluit ſanguis, aut fluxurus eſt, non ad ipſa, ſed circa ipſa, unde influit; & quæcunque inflammationes, vel inflamina ad rubrum & ſubcruentum ſanguine recenti tendunt. Nam veteribus nigredinem affert. Eryſipelas etiam non ulceratum juvat. Nam exulceratum lædit. 23, v.

Tumores articulorum atque dolores abſq; ulcere, & podagricos quoque atque convulſa, horum plurima frigida aqua large effuſa levat, extenuat, ſolvitque dolorem. Nam modicus torpor dolorem ſolvit. 25, v.

Ulceribus frigidum quidem mordax, cutem obdurat, dolorem inſuppurabilem facit, livorem obducit, rigores febriles, convulſiones, diſtenſiones. 20, v.

Frigidum inimicum oſſibus, dentibus, nervis, cerebro, ſpinali medullæ: calidum vero utile. 18, v.

De generibus Tempeſtatum, & quatuor temporibus anni.

MVtationes temporum potiſſimum

mum pariunt morbos, & in quibuſdam temporibus magnæ mutationes, aut frigoris, aut caloris, & alia pro ratione eodem modo. 1, iij.

Morbi omnes quidem in omnibus temporibus fiunt, quidam vero magis in quibuſdam ipſorum & fiunt & excitantur. 19, iij

In temporibus, quando eodem die modo calor, modo frigus fit, autumnales morbos expectare oportet. 4, iij.

In conſtantibus temporibus cum tempeſtive tempeſtiva redduntur; morbi conſtantes, & boni judicii fiunt, in inconſtantibus autem, inconſtantes, & mali judicii. 8, iij.

In Vere repullulant

FVrores, & atræ biles, & morbi comitiales, & profluvia ſanguinis, & anginæ, & gravedines, & raucedines, & tuſſes & lepræ, impetigines, & vitiligines, & puſtulæ ulceroſæ plurimæ, & tubercula, & articulorum morbi. 20, iij.

Ver ſaluberrimum, & minime exitiale. 9, iij.

In Æſtate autem

NOnnulli horum, & febres continuæ, & ardentes, & tertianæ plurimæ. Et [quartanæ] & vomitus, & alvi profluvia, & lippitudines, & aurium dolores, & oris ulcerationes & genitalium putredines, & ſudamina. 21, iij.

In Autumno

MVlti æſtivi morbi fiunt, & febres quartanæ, & erraticæ, & lienes, aquæ inter cutem, & tabes, & ſtillicidia urinæ. [& difficultates inteſtinorum,]eorumque levitates, & coxendicum dolores, & anginæ, & anhelationes (quas Græci aſthmata vocant) & ilei, & morbi comitiales, & furores, & melancholiæ. 22, iij.

Autumnus tabidis importunus. 10, iij.

Autumno morbi acutiſſimi, atque exitiales, maxima ex parte. 9, iij.

In Hyeme

MOrbi laterales, & pulmonum inflammationes, gravedines, atq; raucedines, tuſſes, dolores pectoris, laterum atque lumborum, capitis dolores

lores, vertigines, & apoplexiæ. 23, iij.

Quando æſtas fit *Veri* ſimilis, ſudores in febribus multos expectare oportet. 6, iij.

Si vero æſtas ſicca fuerit & aquilonia, autumnus vero pluvioſus, & auſtralis; dolores capitis ad hyemem fiunt, & tuſſes, raucedines, atque gravedines, quibuſdam autem & tabes. 13 iij.

De temporibus, ſi quidem hyems ſicca, & aquilonia fuerit, *Ver* autem pluvioſum & auſtrale, neceſſe eſt æſtate febres acutas fieri, & lippitudines (Græci Ophthalmias vocant) & inteſtinorum difficultates, præcipue vero mulieribus, & viris natura humidioribus. 11, iij.

Si vero hyems auſtralis, & pluvioſa, & ſerena fuerit, *Ver* autem ſiccum, & aquilonium; mulieres quibus partus ad *Ver* adeſt, ex quacunque occaſione abortiunt: quæ vero parient, imbecilles & morbidos infantes pariunt quare vel ſtatim intereunt, vel tenues, & valetudinarii vivunt. Cæteris vero mortalibus difficultates inteſtinorum, & lippitudines ſiccæ fiunt, ſenioribus autem

tem diſtillationes, quæ cito interiment. 12, iij.

Si verò aquilonius & ſiccus Autumnus fuerit, iis qui naturam habent humidiorem & mulieribus conferet: reliquis autem erunt lippitudines ſiccæ, & febres acutæ, & gravedines, nonnullis vero & atræ biles. 14, iij.

De Ventis.

AVſtri auditum hebetantes, caliginoſi, caput gravantes, pigri, diſſolventes. Quando hujuſcemodi tēpeſtas prævaluerit, talia in morbis patiuntur. At ſi Aquilonia fuerit, tuſſes, fauces, alvi duræ, difficultates urinæ, horrores, coſtarum dolores, & pectoris. Quando hæc tempeſtas prævaluerit, talia in morbis expectare oportet. 5, iij.

Quotidianæ conſtitutiones, aquiloniæ quidem corpora denſant, & bene firma, & bene mobilia, bene colorata, & melius audientia faciunt, & alvos exſiccant, oculos mordent: & ſi pectus dolor aliquis prius obſederit, dolorem augent. Auſtrinæ diſſolvunt corpora, & humectant, auditum obtundunt, capita aggravant, &

vertigines

vertigines faciunt, oculis, atque corporibus difficilem motum præſtant, & alvos humectant. 17, iij.

Morbi in pluviarum multitudine magna ex parte fiunt, febres longæ, alvi profluvia, putredines, morbi comitiales, apoplexiæ, & anginæ. In ſiccitacibus autem, tabitudines, lippitudines articulorum morbi, ſtillicidia urinæ, difficultates inteſtinorũ. 16, iij.

Si continuaverit ſiccitas, febres acutæ fiunt: & ſi annus magna ex parte talis fuerit, qualem fecerit conſtitutionem, tales magna ex parte morbos oportet expectare. 7, iij.

Concludendum itaque quod ſalubriores ſunt dies ſereni quam pluvii, & minus mortiferi.

De Ætatibus

MAgnitudo corporis, juventæ quidem neq; indecens, neq; illiberalis; ſenectæ vero inutilis, & deterior parvitate. 54, ij.

Per tempora anni, Vere quidem, & prima Æſtate pueri, & qui hos ſequuntur ætate, optime degunt, & ſani ſunt maxine: Æſtate vero & Autumno uſque ad aliquid, ſenes: reliquum

quum & Hyeme, qui mediam ætatem habent. 18, iij.

In ætatibus autem talia contingunt parvis, & nuper natis puerulis, oris ulcera, (quæ aphthæ vocantur) vomitus, tuſſes, vigiliæ, pavores, umbilici inflammationes, aurium humiditates. 24, iij.

In progreſſu vero cum jam dentire incipiunt, gingivarum prurigines: febres, cõvulſiones, alvi profluvia, & maxime cum caninos edunt dentes, & iis præſertim pueris, qui craſſiſſimi ſunt, & alvos duras habent. 25, iij.

Cum vero jam magis adoleverint, tonſillæ, & vertebræ, quæ in occipitio, ad interiora luxationes, crebri anhelitus, quos Græci aſthmata vocant, calculi, lumbrici rotundi, aſcarides, verrucæ, quas Græci acrochordonas vocant, ſatyriæ, ſtrumæ, & alia tubercula, ſed præcipue ante dicta. 26, iij.

Grandioribus autem, & jam accedentibus ad pubertatem, plurima ex his, & febres diuturnæ magis, & ex naribus profluvia ſanguinis. 27, iij.

Plurimæ autem paſſiones puerulis judicantur, nonnullæ quidem in quadraginta

draginta diebus, nonnullæ in ſeptem menſibus, nonnullæ vero in annis ſeptem, quædam vero jam ad pubem accedentibus. Quæ vero permanſerint, nec in pubertate finierint, puerulis, aut fœminis cum menſtrua erumpunt, conſeneſcere conſueverunt. 28, iij. aliter in criſibus.

Iuvenibus autem ſanguinis ſpuitiones, tabes, febres acutæ, morbus comitialis, & alii, ſed præcipue ante dicti. 29, iij.

Tabes ſunt maxime ætatibus à decimo octavo uſque ad trigeſimum quintum. 9, v.

Vltra hanc ætatem aſthmata, id eſt, crebri anhelitus, morbi laterales, pulvonis inflammatio lethargi, phrenitides, ardores, diuturna profluvia, choleræ, difficultates inteſtinorum, illorũ levitates, & hæmorrhoides, 30, iij.

Senibus ſpirandi difficultates, diſtillationes cum tuſſi, urinæ ſtillicidia, urinæ difficultates, articulorum dolores, renum paſſiones, vertigines, apoplexiæ, mali habitus, pruritus totius corporis, vigiliæ, alvi, oculorum & nariũ humiditas, viſus obtuſus, glaucedines, auditus graves. 31, iij.

Senes

Senes juvenibus magna ex parte ægrotant minus. Qui vero morbi ipſis accidunt longi, maxima ex parte comitantur ad mortem. 39, 2.

De Victus ratione, ſeu, Diæta.

SEnes facillime jejunium ferunt, ſecundo loco qui ætatem conſiſtentem habent, minus adoleſcentes, omnium minime pueri, præſertim qui inter ipſos ſunt vividiores. 13, j.

Qui creſcunt, plurimum habent calidi innati: plurimo igitur egent alimento: alioqui corpus abſumitur. Senibus vero parum calidi innati ineſt: paucis propterea fomitibus egent, quia à multis extinguuntur. Hanc etiam ob cauſam febres ſenibus non ſimiliter acutæ fiunt, frigidum enim eorum corpus. 14, j.

Ventres hyeme & vere natura calidiſſimi, & ſomni longiſſimi: quare per ea tempora alimenta copioſiora ſunt exhibenda. Etenim tunc calor innatus copioſior eſt: unde & pluribus egent alimentis, indicio ſunt ætates, & Athletæ. 15, j.

Æſtate & Autumno cibos difficillime ferunt, hyeme facillime, ſecundum

dum locum Ver habet. 18, j.

Non pura corpora quanto plus nutries, tanto plus lædes. 10, ij.

Parum deterior potus & cibus, ſuavior autem, melioribus quidẽ, ſed minus ſuavibus eſt præferẽdus. 38, ij.

Facilius eſt impleri potu, quam cibo. 11, ij.

Famem, thorexis, id eſt, vini potio ſolvit. 21, ij.

Eorum quæ univerſim, & velociter nutriunt, veloces quoque fiunt excretiones. 18, ij.

Vbi fames, laborandũ non eſt. 16, ij.

Victus humidus febricitãtibus omnibus confert, maxime vero pueris & aliis qui tali victu uti conſueverunt. 16, j.

Iis qui per circuitus acceſſiones habent, nihil dare oportet, neque cogere, ſed ſubtrahere adjectioni ante judicationes. 19, j.

In acceſſionibus abſtinere oportet: nam cibum dare nocuum eſt, & quibus per circuitnm fiunt acceſſiones, in ipſa acceſſione abſtinere oportet. 11, j.

Quibus igitur ſtatim morbus conſiſtit, iis etiam ſtatim tenuis victus adhi-

adhibendus eſt: quibus vero poſterius debet conſiſtere, iis & ipſo conſiſtendi tempore, & parum ante illud cibus ſubtrahendus: prius vero uberius victus adhibendus eſt, ut æger ſufficiat. 10, 1.

Quando morbus in ſuo vigore cõſtiterit, tunc victu tenuiſſimo utendum eſt. 8, j.

Vbi igitur morbus peracutus eſt, ſtatim & extremos habet labores: & extreme tenuiſſimo victu utendum eſt. Vbi vero non, ſed pleniorem victum contingit adhibere; tantum cibi indulgendum eſt, quantum morbus extremus eſt mollior. 7, j.

Conjectari autem oportet, an æger cum victu ſufficiat perdurare, donec morbus conſiſtat: & numquid prius ille deficiat, nec poſſit cum victu perdurare: vel morbus antea deficiat, atque hebeſcat. 9, j.

Etiam quibus, aut bis, & quibus plura, vel pauciora & particulatim oporteat afferre, conſiderandum. Condonandum aliquid tempori, ætati, & conſuetudini. 17, j.

Victus tenuis atque exquiſitus, in paſſionibus quidem longis ſemper, in acutis

acutis vero, in quibus non convenit, periculoſus. Et rurſus qui ad extremum devenit tenuitatis, gravis eſt. Nam & repletiones quæ ad extremum deveniunt, graves ſunt. 4, j.

In tenui victu ægri delinquunt, quo fit ut magis lædantur. Quicunque nimirum error committitur, major in hoc fit quam in paulo pleniori victu. Propterea etiam ſanis periculoſus exiſtit valde tenuis conſtitutus, & exquiſitus victus, quoniam errores gravius ferunt. Ob hoc igitur tenuis victus atque admodum exquiſitus, eo quo ſit paulo plenior, magis periculoſus. 5, j.

Vbi alimentum præter naturam plus ingeſtum eſt, hoc morbum facit: oſtendit autem ſanatio. 17. ij.

Ejus qui ex ægritudine bene cibatur, nihil proficere corpus, malum. 31, ij.

Omnes ferè qui male ſe habent circa initia, bene cibati, nec quicquam proficientes, circa finem rurſus cibum non appetunt: qui vero circa initia non valde cibum appetunt, poſtea bene appetentes, ii melius evadunt. 32, ij.

Si

Si quis à morbo cibum aſſumens non corroboratur, pluri alimẽto corpus uti ſignificatur: quod ſi non aſſumenti cibum hoc accidat, ſcire oportet quod indiget evacuatiõne. 8, ij.

Quæ longo tempore extenuantur corpora, lente reficere oportet, quæ vero brevi, breviter. 7, ij.

Corporibus carnes habentibus humidas, famem adhibere convenit. Fames enim corpora ſiccat. Sed ubi fames, ibi laborandum non eſt. 16, ij. 59, vij.

De Vino, Aqua, & Lacte.

ALyce, id eſt, anxietudo, oſcitatio, horror, vinum æquale æquali aqua potũ ſolvit ægritudinem. 56, vij. *Vide Aphor. 7, 8, 9. de Diæta.*

Aqua quæ cito calet, & cito refrigeratur, leviſſima eſt. 26, v.

Lac dare caput dolentibus malum: malum vero & febricitantibus, & quibus hypochondria ſuſpenſa murmurant, & ſiticuloſis: malum autem & quibus in febribus acutis bilioſæ ſunt dejectiones, & quibus ſanguinis multi dejectio facta eſt. Convenit autem tabidis dare, qui non val-

de febricitant, & in febribus longis, & parvis, ſi nullum ex ſupradictis ſignis adfuerit, & præter rationem conſumptis. 64, v.

De Indiciis, & Signis è Sputo.

DE Criſibus primo loco & ordine aphoriſmus 12, lib. j. explicat, & agit de Sputo ejuſque ſignis & indiciis.

Excretiones in febribus non intermittentibus, lividæ, cruentæ, fœtidæ, & bilioſæ, omnes malę. Et ſi bene exeunt, ſive per alvi excretionem, ſive per urinas, bonæ: ſi vero non aliquid eorum, quæ juvant, per hæc loca excernitur, malum. 47, iv.

De Sudoribus.

SVdor multus ex ſomno factus abſque cauſa manifeſta, corpus uti pluri cibo ſignificat, ſi vero cibum non accipienti hoc accidat, ſcire oportet quod evacuatione corpus indiget. 41, iv.

Sudor multus calidus, vel frigidus ſuperfluens, frigidus magis, calidus minus ſignificat morbum 42, iv.

Febricitanti ſudor ſuperveniẽs febre

bre non deficiente, malum. Prorogatur enim morbus, & multam ſignificat humiditatem. 56, iv.

Frigidi ſudores, cum acuta quidem febre, mortem; cum mitiori autem, longitudinem morbi ſignificant. 37, iv.

A ſudore horror, non bonum. 4, vij.

Sudores febricitanti ſi inceperint, boni, & tertio die, & quinto, & ſeptimo, & nono, & undecimo, & quartodecimo, & ſeptimodecimo, & vigeſimo, & vigeſimoſeptimo, trigeſimoprimo & quarto. Hi enim ſudores judicant morbos: qui vero non ita fiunt, laborem ſignificant, & morbi longitudinem, & recidivam. 36. iv.

Qua parte corporis ſudor eſt, ibi morbum ſignificat. 38, iv.

Et qua parte corporis calor, aut frigus, ibi morbus. 39, iv.

Sudores in diebus judicatoriis vehementes & celeres ſi fiant, periculoſi, præſertim qui ex fronte tanquam guttæ, & aquæ ſcaturientes pelluntur, frigidi valde atque multi: neceſſe enim eſt talem ſudorē, multa vi, & labore, & longa expreſſione exire. 4, viij.

Quibus arida & dura cutis obtenditur, ſine ſudore moriuntur: quibus vero laxa, & rara, cum ſudore vita deſunguntur. 71, v.

Sudor multus calidus, vel frigidus ſemper fluens, humorem abduci, robuſto quidem ſupra, debili vero infra, ſignificat. 61, vij.

De Vrinis.

QVibus urinæ craſſæ, grumoſæ, paucæ, non ſine febre multitudo veniens, ex his tenuis juvat: præcipuè vero tales veniunt quibus ab initio, vel brevi ſedimentum ineſt. 69, iv.

Quibus urinæ perturbatæ, quales ſunt jumentorum, iis dolor capitis vel adeſt, vel aderit. 70, iv.

Quibus ſperatur abſceſſum futurum ad articulos, liberat ab abſceſſu urina multa, craſſa, & alba facta, qualis in laſſitudinariis ſebribus quarto die quibuſdam incipit fieri. Si vero ex naribus fluxerit ſanguis, brevi admodum ſolutio fit. 74, iv.

Quibus ſeptima judicatur, iis nubeculam habet quarta die urina rubeam, & alia, ex ratione. 71. iv.

Quibus urinæ albæ & perſpicuæ, malæ;

malæ, præſertim ſi in phreniticis appareant. 72, iv.

Quibus in urina craſſa exiſtente, carunculæ parvæ, aut veluti capilli una exeunt, iis à renibus excernitur. 76, iv.

Quibus in urina craſſa furfurea quædam ſimul exeunt, iis veſica ſcabie laborat. 77, iv.

Quicunq; ſponte ſanguinem mingunt, iis à renibus venulam ruptam ſignificatur. 78, iv.

Quibus in urinis arenoſa ſubſiſtũt, iis veſica laborat calculo. 79, iv.

Si ſanguinem mingant, aut grumos, vel ſtillicidium urinæ habeant, & dolor in imum incidat ventrem, & pectinem, & femen, circa veſicam labor eſt. 80, iv.

Si ſanguinem aut pus mejat, aut ſquamulas, & gravis odor adſit, veſicæ exulcerationem ſignificat. 81, iv.

Mictio noctu plurima facta, parvam ſignificat dejectionem. 83, iv.

Quibuſcunque febricitantibus, in urinis fiunt ſedimina veluti farina craſſior, longam ægritudinem fore ſignificat. 31, vij.

Si ſanguinem aut pus mingat: aut

renum, aut veſicæ exulcerationem ſignificat. 75, iv.

Quibus autem biliosa ſedimina ſupra tenuia, acutum morbum ſignificant. 32, vij.

Quibuſcunq; urinæ diſtantes ſunt, iis turbatio vehemens in corpore fit. 33, vij.

Quibus in urinis bullæ inſident, morbum renalem & longum ſignificant. 34, vij.

Quibus inſidens pingue, ac ſimul totum, iis renum vitium acutum ſignificatur. 35, vij.

Quibus autem morbo renali laborantibus prædicta accidunt ſigna, doloreſque circa ſpinæ muſculos fiunt, ſi quidem circa loca exteriora fiant, abſceſſus quoque exterius futuros expecta. Si vero dolores magis circa loca interiora fiant, etiam abſceſſus expecta futuros interius. 36, vij.

De Alvi fluxu.

IN profluviis alvi mutationes excrementorum juvant, niſi ad mala mutatio fiat. 14, ij.

Vbi fauces ægrotant, aut tubercula naſcuntur in corpore, excretiones inſpi-

inſpicere oportet. Nam ſi bilioſæ fuerint, corpus una ægrotat: ſi vero ſimiles ſanis, tutũ eſt corpus nutrire. 15, ij.

Quibus juvenibus adhuc alvus humecta eſt, iis ſeneſcentibus exſiccatur: quibus vero juvenibus alvus adhuc ſicca eſt, iis ſeneſcentibus humectatur. 20, ij.

Dejectiones nigræ, qualis eſt ſanguis [niger] ſponte venientes, ſive cum febre, ſive ſine febre; peſſimæ, & quanto colores magis pravi fuerint plures, pejus, cum medicamento vero melius, & quanto colores plures non pravi. 21, iv.

Morbis quibuſlibet incipientibus, ſi atra bilis, vel ſupra, vel infra exierit, lethale. 22, iv.

Quibuſcũnq, ex morbis acutis aut diuturnis, vel ex vulneribus, ſive quovis alio modo extenuatis, nigra bilis, ſive uti ſanguis niger de ſubter exierit, poſtridie moriuntur. 23, iv.

Sanguis quidem ſupra, qualiſcunque malus: infra autem niger dejectus bonum eſt. 25, iv.

Quibus in febrib. ſanguinis fluxerit multitudo quacunq; ex parte: cũ reficiuntur, alvi iis humectantur. 27, iv.

De Iudiciis Diebuſque Iudicialibus.

ACceſſiones & cõſtitutiones, morbi indicabunt, & anni tempora, & circuituum ſucceſſiva incrementa, ſive quotidie, ſive alternis diebus, ſive per majora intervalla fiant. Sed ex iis, quæ mox apparent, indicia ſumuntur: quemadmodum in morbo laterali, ſi circa initia ſtatim ſputum appareat, morbum breviat: ſi vero poſtea appareat, producit. Et urinæ, & alvi excremẽta, & ſudores, quæcunque apparuerint, vel bonam morborum judicationem, vel malam, vel breves aut longos fore morbos oſtendunt. 12, j.

Quibuſcunque criſis, id eſt, judicatio fit, iis nox gravis ante acceſſionem: quæ vero ſubſequitur, magna ex parte levior exiſtit. 13, ij.

Acuti morbi judicantur in quatuordecim diebus. 23, ij.

Septenorum quartus eſt index. Alterius ſeptimanæ octavus principium. Eſt autem & undecimus contemplabilis: ipſe enim quartus eſt ſecundæ ſeptimanæ. Rurſus vero & decimusſeptimus contemplabilis: ipſe ſiquidem quartus

quartus eſt à quarto decimo, ſeptimus vero ab undecimo. 24, ij.

His quæ non ex ratione levant, non oportet fidere, neque multum formidare mala quæ præter rationem eveniunt: plurima enim talia ſtabilia non ſunt, neque multum durare, & permanere conſuevere. 27, ij.

In quovis morbo mente conſtare, & bene ſe habere ad illa, quæ offeruntur, bonum: contrarium vero malum. 33, ij.

Plurimæ autem paſſiones pueriles judicantur, nonnullæ quidem in quadraginta diebus, nonnullæ in ſeptem menſibus, nonnullæ vero in annis ſeptem, quædam vero jam ad pubem accedentibus. Quæ vero permanſerint, nec in pubertate finierint, puerulis, aut fœminis cum menſtrua erumpunt; conſeneſcere conſueverunt. 28, iij. aliter vero in ætatibus.

Quicunq; in febribus vel in aliis morbis ex voluntate illachrymant, nihil abſurdum: qui vero non ex voluntate, abſurdius. 52, iv.

De Purgatione, Evacuatione, & Vomitu.

QVi bene ſe habent corpore, difficulter ferunt medicationes. 37 ij.

Qui ſalubritatem corporis habent, cum per medicamenta purgantur, cito exſolvuntur, & qui pravo utuntur cibo. 36, ij.

Carnes ſanas habentibus elleborus periculoſus: facit enim convulſionem. 16, iv.

Medicari æſtate ſuperiores magis, hyeme vero inferiores. 4. iv.

Sub Cane, & ante Canem difficiles ſunt medicationes. 5, iv.

Graciles & facile vomentes, purgare ſuperius, caventes hyemem. 6, iv.

Vomentes vero difficulter, & mediocriter bene carnoſos, per inferiora, caventes æſtatem. 7, iv.

Tabidos vero, caventes ad ſuperiora purgationes. 8, iv.

Melancholicos autem plenius per inferiora, eadem ratione contraria apponentes. 9, iv.

Quorum alvi, inteſtinorum lævitate laborant, hiberno tempore ſupra purgari malum. 12, iv.

Si quis febrem non habens, abſtineat a cibo, & cordis morſum, ſeu vertiginem patitur, & oris amaritudinem ſentit, purgatione indigere per ſuperiora ſignificat. 17, iv.

Supra

Supra ſeptum tranſverſum dolores, purgatione indigere per ſuperiora ſignificant: quicunque vero inferiora moleſtant, per inferiora. 18, iv.

Non febricitantibus ſi tormina acciderint, & genuum gravitas, & dolor lumborum: purgari inferius oportere ſignificatur. 20, iv.

De Gravidarum Virginumque affectis.

VTero gerentes ſunt medicandæ, ſi materia turget, quarto menſe, & uſque ad ſeptimum, ſed hæ minus. Iuniora autem & ſeniora vereri oportet. 1, iv. & 29, v. Gravidas purgare &c.

Mulierem utero gerentem capi ab aliquo morbo acuto, lethale eſt. 30, v.

Mulieri menſes decolores, nec per idem ſemper tempus venientes, purgationem indicant eſſe neceſſariam. 36, v.

Quæ & qualia purganda.

QVæ judicantur & judicata ſunt integrè, neque movere, neque novare aliquid, ſive medicamentis; ſive aliter irritando, ſed ſinere. 20, j.

Quibuſcunque venæ ſectio, vel purgatio

gatio cum medicamento convenit, hos vere purgare, vel venam incidere oportet. 47, vj.

In perturbationibus ventris, & vomitibus ſpontaneis, ſi talia purgentur qualia purgari oportet; confert, & leviter ferunt: ſin minus, contra. Sic & vaſorum inanitio, ſi talis fiat, qualis fieri debet; confert, & bene tolerant: ſin minus, contra. Inſpicere itaque oportet & regionem, & tempus, & ætatem, & morbos, in quibus conveniat, aut non. 2, j.

Dejectiones non multitudine ſunt æſtimandæ, ſed ſi talia dejiciantur, qualia conveniunt, & ægri facile tolerant. Atque ubi uſque ad animi defectionem expedit ducere, faciendum, ſi æger poſſit tolerare. 23, j.

In medicationibus talia educere è corpore, qualia & ſponte prodeuntia, utile: quæ vero contrario modo prodeunt, cohibere oportet. 2, iv.

Corpora cũ quiſpiã purgare voluerit, oportet fluida facere. 9, ij.

Quæ ducere oportet, quo maxime natura vergit per loca conferentia, eo ducere convenit. 21, j.

Cum morbi inchoant, ſi quid movendum

vendum videtur, move: cum vero conſiſtunt ac vigent, melius eſt quieſcere. 29, ij.

Circa initia & fines, omnia imbecilliora: circa vigores vero, fortiora. 30, ij.

Medicari in valde acutis, ſi materia turget, eadem die: tardare enim in talibus malum eſt. 10, iv.

Concocta medicari atque movere, non cruda, neque in principiis, modo non turgeant: plurima vero non turgent. 22, j.

In acutis paſſionibus raro, & in principiis medicinis purgantibus uti, & hoc cum præmeditatione faciendum. 24, j.

Cum biberit quis elleborum, ad motiones quidem corporum ducere magis: ad ſomnos vero atque quietem, minus. Indicat autem navigatio turbari motione corpus. 14, iv.

Ex medicamenti potione convulſio, lethalis eſt. 25, vij.

Qui in medicamentis purgati non ſitiunt, non quieſcunt prius, quam ſitiant. 19, iv.

Quicunque morbi ex repletione fiunt, curat evacuatio, & quicunq;

ex evacuatione, repletio, & aliorum contrarietas. 22, ij.

Quæ relinquuntur in morbis poſt judicium, recidivas facere conſuevere. 12, ij.

De Revulſione, & Derivatione.

DOlenti partem capitis poſteriorem, in fronte recta vena inciſa prodeſt. 68, v.

Mulieri ſi velis menſtrua cohibere, cucurbitulam quam maximam ad mammas appone. 50, v.

Mulieri ſanguinem evomenti, menſtruis erumpentibus ſolutio. 32, v.

Lippientem corripi alvi profluvio bonum. 17, vj.

Quibus bilioſæ dejectiones, ſuperveniente ſurditate, ceſſant: & quibus ſurditas, ſupervenientibus bilioſis dejectionibus, ceſſat. 28, iv.

Quibus in febribus aures obſurduerunt: ſanguis ex naribus fluens, aut alvus turbata, ſolvit morbum. 60, iv.

Quæcunque rupta ex dorſo ad cubitum deſcendunt, venæ ſectio ſolvit. 22, vj.

Menſtruis deficientibus, ſanguis ex naribus fluens, bonum. 33, v.

De Indicationibus.

QVibus juvenibus alvus adhuc humecta eſt, iis ſeneſcentibus exſiccatur. Quibus vero juvenibus adhuc alvus ſicca eſt, iis ſeneſcentibus humectatur. 20, ij.

Plura titulo de Fluxu alvi. Sic & titulo de Diæta.

Febricitantium non omnino leviter, permanere corpus, & nihil minui, vel etiam plus quam ratio poſtulat colliqueſcere, malum. Hoc enim morbi longitudinem, hoc vero imbecillitatem ſignificat. 28, ij.

Quæcunque refrigerata ſunt, excalefacere oportet, exceptis iis, quibus ſanguis fluit, aut fluxurus eſt, 19, v.

De Calore naturali, præter naturam, & Febri.

QVædam videnda capite de Criſibus & de Diæta.

Febrem convulſioni ſupervenire melius eſt, quam febri convulſionem. 26, ij.

Qui a convulſione aut diſtentione nervorum tenetur, febre ſuperveniente liberatur, 57, iv.

Ex

Ex bubonibus febres omnes malæ, præter diarias. 55, iv.

Si febris non ex bile habeat, multa aqua calida capiti ſuperinfuſa, ſolutio fit febris. 42, vij.

Quibus in febrib. quotidie rigores fiunt, quotidie febres ſolvuntur. 63, iv.

Quibuſcunque acceſſiones fiunt, quacunque hora febris dimiſerit, ſi eadem cras occupaverit, judicium habent difficile. 30, iv.

Tertiana exquiſita, ſeptenis circuitibus, quod longiſſimum eſt; judicatur. 59, iv.

Æſtivæ quartanæ magna ex parte breves, autumnales longæ, & maxime quæ hyemem attingunt. 25, ij.

Quibuſcunque in quartanis febribus ſanguis è naribus defluxerit, malum. 3, viij.

In febribus non intermittentibus, ſi partes exteriores frigidæ, interiores uruntur, & ſitim habeat, lethale eſt. 48, iv.

Febres quæcunque non intermittentes, tertia die fortiores fiunt, periculoſæ magis. Quocunque modo intermiſerint, periculum abeſſe ſignificant. 43, iv.

Qui

Qui in febribus ardentibus tremores fiunt, delirio ſolvuntur. 26, vj.

Si rigor incidat febre nõ deficiente, ægro jam debili, lethale eſt. 46, iv.

Febre ardente laboranti, rigore ſuperveniente, ſolutio. 58, iv.

Vbi in febre nõ intermittente difficultas ſpirandi, & delirium acciderit, lethale. 50, iv.

In febre non intermittente, ſi labrum, vel palpebra, vel ſupercilium, vel oculus, vel naſus pervertatur, vel non videat, vel non audiat: jam debili exiſtente corpore: quicquid horũ evenerit, mors proxima eſt. 49, iv.

In febribus circa ventriculum & fortis æſtus, & cordis morſus, malum. 65, iv.

Hæc quidem in febribus acutis obſervare oportet, quando quis moriturus, & quando evaſurus. 10, viij.

In acutis febrib. cõvulſiones, & circa viſcera dolores fortes: malũ. 66, iv.

In febribus, ex ſomnis timores, vel convulſiones, malum. 67, iv.

Quibus plurimum ſiccæ tuſſes leviter irritantes in febribus ardentibus fiunt, non multũ ſiti infeſtantur. 54, iv.

Quibus circa dentes in febribus quidem

quidem lentores naſcuntur, iis fortes fiunt febres. 53, iv.

In febribus abſceſſus qui ad primas judicationes non ſolvunt, longitudinem morbi ſignificant. 51, iv.

Quicunque in febribus, vel in aliis morbis ex voluntate illachrymant, nihil abſurdum; qui vero non ex voluntate, abſurdius. 52, iv.

In febribus ſpiritus offendens, malũ, convulſionẽ enim ſignificat. 68, iv.

Rigores incipiunt mulieribus quidem ex lumbis magis, & per dorſum percurrunt ad caput, ſed & viris parte corporis poſteriore magis quam anteriore, veluti ex femore & cubito. Sed & cutis rara: indicio autem eſt pilus. 69, v.

De Capite & ejus dolore.

QVicunque calvi ſunt, iis magnæ varices non fiunt: quibus vero calvis varices magnæ ſuperveniunt, ii rurſus capillati fiunt. 34, vj.

Eunuchi neque podagra laborant, nec calveſcunt. 28, vj.

Lac dare caput dolentibus malum: malum vero & febricitantibus, & quibus hypochondria ſuſpenſa murmurant,

murant, & ſiriculoſis: malum autem & quibus in febribus acutis bilioſæ ſunt dejectiones, & quibus multi ſanguinis dejectio facta eſt. Convenit autem & tabidis dare, qui non valde febricitant, & in febribus longis, & parvis, ſi nullum ex ſupradictis ſignis affuerit, & præter rationem conſumptis. 64, v.

Dolenti parte capitis poſteriore, in frõte recta vena inciſa prodeſt. 68, v.

Caput dolenti, & circumdolenti, pus vel aqua vel ſanguis effluens per nares, aut os, aut aures, morbum ſolvit. 10, vj.

De Delirio.

DEſipientiæ quæ cum riſu fiunt, ſecuriores: quæ vero cum ſtudio periculoſiores. 53, vj.

Ubi ſomnus delirium ſedat, bonum. 2, ij.

A profluvio ſanguinis, deſipientia, ac convulſio, malum. 9, vij.

Ex multa potatione rigor & deſipientia, malum. 7, vij.

A capitis ictu obſtupeſcentia, & deſipientia, malum. 14, vij.

In vigilia, convulſio, vel deſipientia, malum. 18, vij.

In

In oſſis præciſione, quæ ad vacuum penetret, deſipiẽtia, periculoſũ. 24, vij.

De Inſania, ſeu Phrenitide.

QVi ſupra quadraginta annos phrenitici fiunt, non omnino ſanantur: minus enim periclitantur, quorum & naturæ & ætati morbus ſit conveniens. 1, viij.

A pulmonis inflammatione phrenitis, malum. 12, vij.

De Somno præter naturam.

IN quo morbo ſomnus laborem facit, mortale: ſi vero ſomnus juvat, non mortale. 1, ij.

Somnus atque vigilia, utraque ſi modum exceſſerint, malum. 3, ij.

De Reſolutione Nervorum, quæ Apoplexia, & Paralyſis nuncupatur.

SOlvere apoplexiam, fortem quidem, impoſſibile: debilem vero, non facile. 42, ij.

Quicunque ſani dolore capitis repente capiuntur, & ſtatim muti fiunt & ſtertunt, in ſeptem diebus pereunt, niſi febris apprehenderit. 51, vj.

Si lingua repente incontinens fiat, aut

aut aliqua pars corporis ſtupore elanguit, tale eſt melancholicum. 40, vij.

In morbis melancholicis ad hæc periculoſi decubitus, apoplexiam corporis, vel convulſionem, vel furorem, vel cæcitatem, ſignificant. 56, vj.

Apoplexiæ autem fiunt maxime à quadrageſimo anno uſq; ad ſexageſimum. 57, vj.

De morbo Comitiali.

QVicunq; juvenes morbo comitiali laborant, mutatione maxime ætatis, & temporum. & locorum, & victuum quoque liberantur. 45, ij.

Quibuſcunque morbi comitiales fiunt, ante pubertatem mutationem accipiunt: quibuſcunque autem vigeſimoquinto, moriuntur. 7, v.

De morbo ab Atra bile, Melancholia, & Mania ſeu furore.

SI timor atq; mœſtitia longo tempore perſeverent, melancholicum tale eſt. 23, vj.

Melancholicis &. renum vitio laborantibus, hæmorrhoides ſupervenientes, bonum. 11, vj.

In

In inſanientibus ſi varices vel hæmorrhoides ſupervenerint, ſolutio inſaniæ. 21, vj.

A furore difficultas inteſtinorum, vel aqua inter cutem, vel mentis alienatio, bonum. 5, vij.

De Convulſione, Diſtentione nervorum & Singultu.

Vide late titulo de Febribus. 66, iv. Sic 49, iv. & 68, iv.

Convulſio ex elleboro, lethalis eſt. 1, v.

Cõvulſio ex vulnere lethalis eſt. 2, v.

Vbi ſanguis multus fluxerit, ſingultus aut convulſio ſuperveniens, malum. 3, v.

Ex ſuperflua purgatione convulſio, aut ſingultus ſuperveniens, malũ. 4, v.

Senioribus ſi id evenit, pejus. 41, vij.

Convulſio fit vel ex repletione vel ex inanitione: ita vero & ſingultus. 39, vj.

Si ebrius quiſpiam repente obmutuerit: convulſus moritur, niſi febre corripiatur, aut ubi ad horam pervenerit qua ſolvuntur crapulę, vocem recuperet. 5, vj.

Quicunque à diſtentione corripiuntur,

untur, in quatuor diebus pereunt: ſi vero has effugerint, ſani fiunt. 6, v.

In fluxu muliebri ſi convulſio, & animi defectus advenerit, malum. 56, v.

Plura de Delirio. 9, vij,

Ab æſtibus fortibus convulſio aut diſtentio, malum. 13, vij.

Ab ileo vomitus, ſingultus, deſipientia, vel convulſio, malum. 10, vij.

A vomitu ſingultus & oculorum rubor, malum. 3, vij.

De delirio, & purgatione vide Aphoriſmum 18, vij.

A quartanis capti, non admodum à convulſionibus capiuntur: ſi vero prius capiantur & quartana ſupervenerit, liberantur. 70, v.

Eſt autem ubi in diſtentione ſine ulceratione, juveni bene carnoſo, æſtate media, frigidæ aquæ multa perſuſio calorem revocat, calor autem hæc ſolvit. 21, 5.

De Oculis.

Lippientem alvi profluvio corripi, bonum. 17, vj.

Dolores oculorum, meri potio, aut balneum, aut fomentum, aut venæ ſectio, aut medicamentũ ſolvit. 31, vj.

Quibuſ-

Quibuſcunque in morbis oculi ex cauſa illachrymant, bonum: quibuſcunque autem ſine cauſa, malum. 2, viij.

Si oculi caligant, vel lucem adverſantur, qui ſomno multo, & æſtu detinetur, deſperatus eſt. 15, viij.

Oportet vero conſiderare oculorum in dormientibus ſuſpectiones, nam ſi quid album commiſſis palpebris ſubinſpicitur, neque ex alvi profluvio, aut medicamenti potione iſtud contingat, malum eſt ſignum, & letale valde. 52, vj.

De Auribus.

AVres frigidæ, pellucidæ, contractæ, letales. 14, viij.

Si quis ſenſum rabie quadam agitare incipit & non agnoſcit neque audit, neque intelligit, mortiferum. 16, viij.

Plura pertractavi tit. de Revulſione Aphoriſ. 28, iv. & 60, iv.

De Naribus.

QVibus nares natura humidiores, & genitura humidior, minus integra ſanitate fruuntur: quibus vero

vero contraria, ſalubrius degunt, 2, vj.

De Sternutamentis.

MVlieri quæ uterinis moleſtatur, aut difficulter parit: ſuper veniens ſternutatio, bonum. 35, v.

A ſingultu habitum ſternutatio ſuperveniens liberat. 13, vj.

Sternutamentum fit ex capite, calefacto cerebro aut humectato eo quod in capite inani. Aer enim intus contentus extra erumpit. ſonat autem, quoniam ipſi per anguſtiam eſt exitus. 51. vij.

De Ore, & Lingua.

LIngua nigra atque cruenta, quum quid horum ſignorum abeſt, malum validum non eſt, morbum enim minorem ſignificat. 9, viij.

Balbi ab alvi profluvio maxime capiuntur. 32, vj.

De Dentibus.

FRigidum inimicum oſſibus, dentibus, nervis, cerebro, ſpinali medullæ; calidum vero utile. 18, v.

De Labris.

LAbra livida, reſoluta, inverſa, frigida, mortifera. 13, viij.

De Catarrho, Brancho, Coryza, ſeu Raucedine.

QVibus nares natura humidiores &c. Plura tit. de Naribus.

Raucedines, & gravedines in valde ſenibus concoctionem non admittunt. 40, ij.

De Tuſsi.

FRigida, qualis nix, & glacies, pectori inimica, tuſſes movent, & ſanguinem, & diſtillationes. 24, v.

Aqua inter cutem laborans, ſi à tuſſi habeatur, deſperatus eſt. 47, vij.

De Aſthmate, ſive anhelitu difficili.

QVi gibbi ex aſthmate aut tuſſi fiunt, ante pubertatem moriuntur. 46, vj.

De Angina.

SI a febre habito, tumore non exiſtente in faucibus, ſtrangulatio repente ſupervenerit, letale, 34, iv.

Si

Si a febre habito collum perverti-tur, & vix poteſt devorare, ſine ullo tumore, letale eſt. 35, iv.

Ab angina habito ſi tumor fiat in collo, bonum. Foras enim morbus deducitur. 37, vj.

Ab angina habito tumor & rubor in pectore ſuperveniens, bonum: extra enim vertitur morbus. 49, vij.

Quicunq; ab angina liberantur, iis ad pulmonem vertitur, & in ſeptem diebus pereunt, ſi vero has effugerint, ſuppurantur. 10, v.

De Peripneumonia, ſeu pulmonis morbo

A Morbo laterali vel pulmonia habito, alvi profluvium adveniens, malum. 16, vj.

A morbo laterali inflammatio pulmonis, malum. 11. vij.

De Pleuritide, ſeu lateris dolore

VIde Aphoriſmum 12, j. & ſupra. 16, vj.

Dolores qui ſunt in lateribus & pectoribus atque aliis partibus, an multum differant, perdiſcendum. 5, vj.

Qui acidum eructant, non valde morbo laterali corripiuntur. 33, vj.

C 2 Quicun-

Quicunque morbo laterali laborantes in quatuordecim diebus non repurgantur, ii ad ſuppurationem vertuntur. 8, v.

Quicunque ex morbo laterali ſuppurantur, ſi in quadraginta diebus purgantur à die qua fit ruptio, liberantur: ſi vero non, ad tabem tranſeunt. 15, v.

De Suppuratione, ſeu Empyemate.

DVm pus conficitur, dolores ac febres accidunt magis, quam jam confecto. 47, ij.

Si in ventrem ſanguis præter naturam effunditur, neceſſe eſt ſuppurari. 20, vj.

Diſtillationes in ventrem ſuperiorē, ſuppurantur intra 20. dies. 38, vij.

A tuberculi intus ruptione, exolutio, vomitio, aut animi defectio fit. 8, vij.

A ſanguinis ſputo puris ſputum, malum. 15, vij.

Quicunque ſuppurati uruntur vel ſecantur, ſi pus purum fluxerit & album, evadunt: ſi vero ſubcruentum, & fæculentum, ac fœtidum, pereunt. 44. vij.

Qui-

Quicunque ſuppurati, aut aquam inter cutem patientes uruntur, aut ſecantur: ſi pus aut aqua univerſim effluxerit, omnes moriuntur. 27, vj.

Quibuſcunque ſuppuratio in corpore exiſtens non innoteſcit, iis ob craſſitudinem puris, aut loci non innoteſcit. 41, vj.

De Sputo Sanguinis.

SAnguis quidem ſupra, qualiſcunque fuerit, malus: infra autem niger dejectus, bonum. 25, iv.

Quicunq; ſpumoſum ſanguinem exſpuũt, iis è pulmone eductio fit. 13, v.

Quicunque evomunt ſanguinem, ſi ſine febre quidem, ſalutare: ſi vero cum febre, malum. Curare vero acerbis, & refrigerantibus. 37, vij.

De Tabe, ſeu Phthiſi.

TAbes à decimo-octavo anno uſque ad trigeſimum quintum potiſſimum gignuntur. 7, viij.

Quæ ſecundum naturam ad tabem vergunt, omnia quidem vehementia quædam etiam lethalia. Secundum autem erat, ſi eo tempore ægrotet, quo tempus ipſum morbo opem

ſert: ſicuti ardenti febri æſtas, Hydropico hyems. ſupervincit enim quod eſt à natura: at ſpleni plus adfert timoris. 8, viij.

Quibuſcunque tabe laborantibus capilli è capite defluunt: iis alvi profluvio ſupervenie͂te, moriuntur, 12, v.

Qui tabe moleſtantur, ſi ſputum quod extuſſiunt grave olet injectum carbonibus, & capilli è capite defluunt, lethale. 11, v.

A tabe habito profluvium alvi ſuperveniens, lethale. 14, v. Vide Aphor. 15, v. Quicunque ex morbo laterali. &, 64, v. Lac cephalalgicis dari, &c.

A puris ſputo phthiſis & fluxus: cum vero ſputum retinetur, moriuntur. 16, vij.

De Corde.

QVi frequenter ac fortiter abſque cauſa manifeſta exſolvuntur, derepente moriuntur. 41, ij.

De Hepate.

REcto inteſtino aut utero inflammationem patiente, urinę ſtillicidium ſupervenit, & renibus purulentis

lentis urinæ advenit ſtillicidium. Hepati autem inflammationem patienti ſingultus advenit. 58, v.

In hepatis inflammatione ſingultus, malum. 17, vij.

Quorum hepar ſuppuratum aduritur, ſi pus purum fluxerit, & album, evadunt. In tunica enim ipſis pus continetur. Si vero qualis amurca, pereunt. 45, vij.

Quibus hepar aqua plenum in omentum eruperit, iis venter aqua repletur, & moriuntur. 55, vij.

De Liene.

Lienoſis difficultas inteſtinorũ ſuperveniens, bonum. 48, vj.

Quicunq; lienoſi à difficultate inteſtinorum capiuntur, iis ſuperveniente longa difficultate inteſtinorum, aqua inter cutem, aut lævitas inteſtinorũ advenit, & moriũtur, 43, vj.

De morbo Regio, ſeu Arquato.

Morbo regio laborantibus ſi fiat hepar durum, malum. 42, vj.

Quibus in febribus morbus regius ante diem ſeptimum accidit, malum. 62, iv.

Quibus in febribus morbus regius ſeptimo, vel nono, vel undecimo, vel quartodecimo ſupervenerit, bonum, niſi dextrum hypochondrium obduruerit. Si vero non, non bonum. 64, iv.

Qui regio morbo laborant, non multum ventoſi ſunt. 72, v.

De Hydrope, ſive aqua Inter cutem.

QVibus tormina, & circa umbilicum dolores, & lumborum dolor, qui neque à medicamento, neque aliter ſolvitur, in aquam inter cutem ſiccam firmatur. 11, iv.

Quibus hypochondria ſuſpenſa murmurantia, lumborum dolore ſuperveniente, iis alvi humectantur, niſi flatus erumpant, aut urinæ multitudo proveniat. hęc vero in febribus 73, iv.

Aqua inter cutem laborantibus, ulcera in corpore facta difficulter ſanantur. 8, vj.

Qui alba pituita detinetur, ſi fortis ventris fluxus ſupervenerit, à morbo liberatur. 29, vij.

Ab aqua inter cutem habito, ſi aqua è venis in ventrem defluxerit, ſolvitur morbus. 14, vj.

Quibus

Quibus inter ventriculum & ſeptum pituita repoſita eſt, & dolorem affert non habens exitum neque ad alterum ventrem ; iis per venas ad veſicam pituita verſa, ſolvitur morbus. 54, vij.

Legantur Aph. 55, vij. de Iecore. & Aph. 47, vij. & de Hemorrhoidibus, 12, vj. & de Empyemate. 27, vj. nec non de Liene. 43, vj. Denique de Mania. 5, vij.

De Stomacho, & Ventriculo.

VIdeatur Aph. 2, j. tit. de Purgatione : & de Diæta. 15, v.

Famem thorexis, id eſt, vini potio ſolvit. 21, ij.

In morbo diuturno faſtidium cibi, & dejectiones ſinceræ, malum, 6. vij.

De Siti.

QVi in medicamentis non ſitiunt, non quieſcunt prius, quam ſitiant. 19, iv.

Qui noctu bibere appetunt, iis admodum ſitientibus ſi ſuperdormierint, bonum. 27, v.

De Lienteria, ſeu inteſtinorum lævitate & Diarrhœa, quam Corn. Celſus paſſim appellat dejectionem.

QVorum alvi inteſtinorum lævitate laborant, hiberno tempore ſupra purgari, malum. 12, iv.

In longis lævitatibus inteſtinorum, ſi ructus acidus fiat, qui prius non erat, ſignum bonum. 1, vj.

Quibus in alvi profluviis excrementa ſpumoſa ſunt: iis ex capite pituita defluit. 30, vij.

A longo alvi profluvio habito, ſpontaneus vomitus ſuperveniens, morbum ſolvit. 15, vj.

Ex morbo, vel in morbo diuturno alvi fluor, malum. 5, viij.

De Terminibus, ſive Dyſenteria.

DIfficultas inteſtinorum, ſi ab atra bile inceperit, lethalis. 24, iv.

A difficultate inteſtinorũ habito, ſi veluti carũculę exeant, lethale. 26, iv.

In longis difficultatibus inteſtinorum, cibi faſtidia: malum, & cum febre pejus. 3, vj.

Plura tit. de Liene, 48, vj. & de Melanch. 5, vij.

De Teneſmo.

SI prægnanti, teneſmus ſuperve-nerit, abortus eſt cauſa. 27, vij.

De dolore Ventris, & Inflatione.

DE his tractavi titulo de Hydro-pe. Aph. 11, iv. & 73, iv.

Dolores & tumores ventris ſublimes, leviores: qui vero non ſublimes, fortiores. 7, vj.

Quibus dolor circa hypochondrium fit abſque inflammatione, iis febris ſuperveniens dolorem ſolvit. 40, vj.

A ventris dolore diuturno, ſuppuratio, 22, vij.

In forti dolore ventris, partium extremarũ frigiditas, malum. 26, vij.

De Iliaca paſſione, ſeu morbo inteſtini tenuioris.

QVibus in ſtillicidio urinæ Ileos ſupervenerit, in ſeptem diebus pereunt, niſi febre ſuperveniente, ſatis urina fluxerit. 44, vj.

Ab Ileo vomitus, ſingultus, deſipientia, vel convulſio, malum. 10, vij.

De Renibus, & Veſica.

CVm plurimos Aph. tit. de Vrinis ad hos affectus pertinentes ſcripſerim, inutile mihi viſum fuit crambem bis coctam vobis offerre: ſed ſequentes ſubnectere, præcipuè cum ad Renes & Veſicam proprie ſpectent.

Recto inteſtino aut utero inflammationem patiente, & renibus purulentis urinæ advenit ſtillicidium; jecoris vero inflammationem ſingultus ſequitur. 58, v.

Renum & veſicæ vitia in ſenioribus difficulter curantur. 6, vj.

Difficultates urinæ, vena ſecta juvat. ſecare vero interiores. 36, vj.

Vrinæ ſtillicidium, & mingendi difficultatem, vini potio, & venæ ſectio ſolvit. incidere autem interiores. 48, vij.

Melancholia, & nephritide laborantibus: hæmorrhoides ſupervenientes, bonum. 11, vj.

De Teſtibus.

TEſtis dexter frigidus convulſuſque, mortiferum. 11, viij.

De

De Virorum Pudendis.

QVibus in urinaria fiſtula tubercula naſcuntur, iis facta ſuppuratione, & eruptione, ſolutio advenit. 82, iv.

De iis quæ ad Muliebra.

FOetus, maris quidē in dextris, fœminæ vero in ſiniſtris magis. 48, v.

Gravidas purgare turgente materia à quarto menſe uſq; ad ſeptimum minus vero has. Recentiores autē & ſeniores fœtus ſervare oportet. 29, v.

Mulieri ſanguinem vomenti, menſtruis erumpentibus, ſolutio advenit. 32, v.

Menſtruis deficientibus, ſanguis è naribus fluens, bonum. 33, v.

Mulieri quæ uterinis moleſtatur, aut difficulter parit, ſuperveniēs ſternutatio, bonum. 35, v.

Mulieri menſes decolores, nec per idem ſemper tempus venientes, purgationē indicant eſſe neceſſariā. 36, v.

Mulieri ſi velis menſtrua cohibere, cucurbitulam quam maximam ad mammas appone. 50, v.

In fluxu muliebri ſi convulſio & animi defectus advenerit, malū. 56, v.

Menſtruis largius fluentibus, morbi eveniunt: non fluentibus autem ex utero, morbi contingunt. 57, v.

Si mulier quæ neque gravida eſt neque peperit, lac habet: huic menſtrua defecerunt. 39, v.

Suffitus aromatum muliebria ducit: ſæpius vero & ad alia utilis eſſet, niſi capitis faceret gravitatem. 28, v.

Mulieri utero gerenti ſi lac multum è mammis effluat, fœtum imbecillem ſignificat, ſi vero mammæ ſolidæ fuerint, fœtum ſignificant ſaniorem. 52, v.

Si mulieri utero gerenti purgationes procedant, impoſſibile eſt fœtum eſſe ſanum. 60, v.

Quibuſcunq; mulieribus ad mammas ſanguis colligitur, furorem ſignificat. 40, v.

Si velis cognoſcere an conceperit mulier: cum dormitura eſt, ei aquam mulſam potandam da, & ſi alvi tormina patietur, concepit, ſin minus non concepit. 41, v.

Si mulier non concipit, ſcire autem velis ſi conceptura ſit, pannis circumtectam infernæ ſuffias: & ſi odor videatur per corpus ire ad nares, &

os

os, ſcito quod ipſa non ex ſeipſa ſterilis eſt. 59, v.

Quæcunque præter naturam craſſę non concipiunt utero, iis omentum os uteri comprimit: & priuſquam extenuentur, non concipiunt. 46, v.

Quæcunque frigidos & ſpiſſos uteros habent, non concipiunt. Et quæcunque præhumidos uteros habent, non concipiunt. extinguitur enim in eis genitura. Et quæcunque ſiccos multum, & præcalidos: nam ex defectu alimenti corrumpitur ſemen. Quæcunque vero ex utriſque mediocrem habent temperaturam, eæ fœcundæ ſunt. 62, v.

Si mulieri ceſſent purgationes, neque febri, neque rigore ſuperveniente & faſtidia cibi incidant: judica ipſam in utero habere. 61, v.

Quę utero gerunt, iis uteri os comprimitur. 51, v.

Mulierem utero gerentem capi ab aliquo morbo acuto, lethale eſt. 30, v.

Si mulieris gravidæ in utero ſit eryſipelas, lethale. 43, v.

Mulieri in utero gerenti ſi alvus plurimum profluat, periculum eſt ne abortiat. 34, v.

Quæ

Quæ corrupturæ ſunt fœtus, iis mammæ extenuantur. Quod ſi rurſus duræ fiant, dolor aut mammas aut coxas, aut oculos, aut genua infeſtabit, & non corrumpent. 53, v.

Mulieri utero gerenti ſi mammæ graciles repente fiant, abortit. 37, v.

Mulieri utero gerenti & geminos habenti, ſi altera mamilla gracilis fiat, alterum abortit: & ſiquidem mamma dextra gracilis fiat, marem, ſi vero ſiniſtra fœminam. 38, v.

Quæcunque præter naturam tenues exiſtentes, utero gerunt, abortiunt prius quam craſſeſcant. 44, v.

Quæcunque mediocriter corpora habentes abortiunt ſecundo, aut tertio menſe ſine occaſione manifeſta, iis acetabula, id eſt, cotyledones, plena mucoris ſunt, & non poſſunt propter pondus fœtum retinere, ſed dirumpuntur. 45, v.

Mulier gravida ſi marem concepit, bene colorata eſt: ſi vero fœminam male colorata. 42, v.

Quæcunque utero gerentes à febribus corripiuntur, & fortiter caleſiunt ſine occaſione manifeſta, difficulter pariunt, & cum periculo,

ſo, aut abortum facientes periclitantur. 55, v.

Quibus os uteri durum eſt, iis uteri os comprimi eſt neceſſarium. 54, v.

Vt ſecundæ procedant, ſternutatorio appoſito, nares, & os comprime. 49, v.

Mulier ambidextra non fit. 43, 7.

De Artuum doloribus.

NOn febricitantibus ſi tormina acciderint, & genuum gravitas, & lumborum dolor: purgari per inferiora oportere ſignificatur. 20, iv.

Febricitantibus laſſitudinem habentibus ad articulos, & circa maxillas potiſſimum abſceſſus fiunt. 31, iv.

Quibus autem evaleſcentibus ex morbo pars aliqua dolet, ibi fiunt abſceſſus. 32, iv.

Sed ſi ante morbum aliqua pars doluerit, ibi morbus ſtatuitur. 33, iv.

Quos febres longæ exercent, iis tubercula, vel labores in articulis fiunt. 44, iv.

Quibus tubercula, vel in articulis labores ex febribus accidunt, ii pleniore utuntur cibo. 45, iv.

Eunuchi

Eunuchi neque podagra laborant, neque calvi fiunt. 28, vj.

Puer podagra non laborat ante uſum venereorum. 30, vj.

Mulier podagra non laborat, niſi menſtrua defecerint. 29, vj.

Quibuſcunque morbi podagrici fiunt, ii ſedata in quadraginta diebus inflammatione, finiunt. 49, vj.

Dolores podagrici vere, & autumno magna ex parte moventur. 55, vj.

Quibuſcunque à longo coxendicum dolore moleſtatis cavitatis ſua excidit coxa, & rurſus recidit, iis mucores ſuperveniunt. 59, vj.

Quibuſcunque à coxendicum dolore moleſtatis diuturno excidit coxa, iis crus tabeſcit, & claudicant, ſi non urantur. 60, vj.

Duobus doloribus ſimul non eundem locum infeſtantibus, vehementior alterum obſcurat. 46, ij.

Tumores articulorum atque dolores abſque ulcere podagras & convulſiones, horum plurima frigida aqua largê effuſa levat, & exſolvit dolorem, nam modicus torpor ſolvit. 25, v.

De-

De Digitis, & Vnguibus.

DIgitorum extrema frigida mortē proximā eſſe ſignificăt. 13, viij.

Vngues nigri, digiti pedum frigidi, nigri, contracti, vel remiſſi, mortem proximam eſſe ſignificant. 12, viij.

De Hæmorrhoidibus.

MElancholia, & Nephritide laborantibus hæmorrhoides ſupervenientes, bonum. 11, vj.

A diuturnis ſanato hæmorrhoidibus, ſi unà non ſervatur, periculum eſt aquam inter cutem vel tabem advenire. 12, vj.

De Vlcere, & Vulnere.

SI in vulneribus fortibus & pravis tumores non appareant, ingens malum. 66, v.

Veſica diſciſſa, aut cerebro, aut corde, aut præcordiis, aut aliquo ex tenuioribus inteſtinis, aut ventriculo, aut jecore, lethale. 18, vj.

Cum diſciſſum fuerit os, aut cartilago, vel nervus, aut genæ particula tenuis, vel præputium, neque augetur neque coaleſcit. 19, vj.

In

In ulceribus annuis; aut etiam diuturnioribus, abſceſſum oſſibus communicari eſt neceſſe, & cicatrices cavas fieri. 45, vj.

Quibuſcunq; præciditur cerebrum iis neceſſe febrem, & bilis vomitum ſupervenire. 50, vj.

Si omentum excidat, neceſſario putreſcit. 58, vj.

A forti in ulceribus pulſu, profluvium ſanguinis, malum. 21, vij.

Quibus cerebrum aliqua ex cauſa concuſſum fuerit, neceſſe eſt ſtatim mutos fieri. 58, vij.

Vlcera circũ glabra, prava ſunt. 4, vj.

Aqua inter cutem laborantibus ulcera in corpore facta difficulter ſanantur. 8, vj.

De Tumoribus præternaturalibus, ut ſunt Phlegmone, ſeu inflammatio, & exanthemata.

QVibus tumores in ulceribus apparent, non admodum convelluntur, neque inſaniunt: verum his evaneſcentibus derepente, illis quidem quibus à tergo, convulſiones & tetani fiunt: quibus autem à fronte, inſania, vel dolor lateris acutus, vel ſuppu-

ſuppuratio, vel difficultas inteſtinorum, ſi tumores ſunt rubicundi. 65, v.

Molles, maturique tumores, crudis, ac duris laudabiliores. 67, v.

Latæ puſtulæ non admodum pruriunt. 9, vj.

De Eryſipelate, igneque Sacro.

EX oſſis nudatione eryſipelas, peſſimum eſt. 19, vij.

Si mulieris gravidæ in utero ſit eryſipelas, lethale. 43, v.

Ab eryſipilate putredo aut ſuppuratio, malum. 20, vij.

Eryſipelas ab exterioribus verti ad interiora, non eſt bonum: ab interioribus autē ad exteriora, bonum. 25, vj.

De Syderatione, & Gangræna.

QVibus cerebrum ſphacelatum eſt, in tribus diebus pereunt, ſi vero hos evaſerint, ſani fiunt. 50, vij.

In oſſe ægrotante caro livida, malum eſt. 2, vij.

A corruptione abſceſſus oſſis. 73, vij.

De Cancro, & Carcinomate.

CAncros occultos habentes melius eſt non curare. Curati enim cito pereunt, non curati vero longius tempus perdurant. 38, vj.

De

De Abſceſſu.

FEbricitantibus laſſitudinē habentibus in articulis, & circa maxillas, potiſſimum abſceſſus fiunt. 31, iv.

Quibus febres longæ, iis tubercula vel labores in articulis fiunt. 44, iv.

De hiſce egimus titulo de Vrinis. Aph. 36, vij. & de Articulorum doloribus. 32, iv. nec non de Colico dolore. 22, vij.

Mors.

CVm a vita incœptū hoc opus ſit, id cum morte finire placuit. Terminus vero mortis eſt, cum animę calor ſupra umbilicum ad locum ſepto tranſverſo ſuperiorem aſcendit, & omnis humor exuritur. Cum autem pulmo & cor calore in mortiferis locis coacervato humorem amiſerint, caloris ſpiritus confertim exhalat, cujus ope totum cum toto compactum erat. Præterea partim per carnes, partim per capitis ſpiracula, unde vivere dicimur, relinquens anima corporis domicilium, frigidū & mortale ſimulacrū una cum bile, ſanguine, pituita, & carne deditione reddit.

FINIS.

INDEX TITVLORVM.

Hippocratis Lex, Pag. 4
Ejuſdem Iuramentum, 7
De Vita, 9
Obſervationes quædam perpetuo utiles, 9
Externorum uſus, 12
De generibus Tempeſtatum, & quatuor temporibus anni, 13
Morbi in Vere repullulantes, 14
In Æſtate, 15
In Autumno, 15
In Hyeme, 15
De Ventis, 17
De Ætatibus, 18
De Victus ratione, ſeu Diæta, 21
De Vino, Aqua, & Lacte, 25
De Indiciis, & ſignis è ſputo, 26
De Sudoribus, 26
De Vrinis, 28
De Alvi fluxu, 30
De Iudiciis, diebuſque judicialibus, 32
De Purgatione, Evacuatione, & Vomitu, 33
De Gravidarum Virginumque affectis, 35
Quæ & qualia purganda, 35
De Revulſione, & Derivatione, 38
De Indicationibus, 39

De Calore naturali, præter naturam, & Febri, 39
De Capite, & ejus dolore, 42
De Delirio, 43
De Inſania, ſeu Phrenitide, 44
De Somno præter Naturam, 44
De Reſolutione Nervorum, quæ Apoplexia, & Paralyſis nuncupatur, 44
De Morbo Comitiali, 45
De Morbo ab Atra bile, Melancholia & Mania, ſeu Furore, 45
De Convulſione, Diſtentione nervorum, & Singultu, 46
De Oculis, 47
De Auribus, 48
De Naribus 48
De Sternutamentis, 49
De Ore, & Lingua, 49
De Dentibus, 49
De Labris, 50
De Catarrho, Brancho, Coryza, ſeu Gravedine, 50
De Tuſſi, 50
De Aſthmate, ſive anhelitu difficili, 50
De Angina. 50
De Peripneumonia, ſeu pulmonis morbo. 51
De Pleuritide, ſeu lateris dolore, 51
De Suppuratione ſeu de Empyemate, 52

De

De Sputo ſanguinis, 53
De Tabe, & Phthiſi, 53
De Corde, 54
De Hepate, 54
De Liene, 55
De Morbo Regio, ſeu Arquato, 55
De Hydrope, ſeu Aqua inter cutem. 56
De Stomacho, & Ventriculo, 57
De Siti, 57
De Lienteria, ſeu Inteſtinorum læviate, & Diarrhœa, 58
De Torminibus, ſeu Dyſenteria, 58
De Teneſmo, 59
De Dolore Ventris, & Inflatione, 59
De Iliaca paſsione, 59
De Renibus & Veſica, 60
De Teſtibus. 60
De Virorum Pudendis, 61
De iis quæ ad Muliebria, 61
De Artuum doloribus, 65
De Digitis, & Vnguibus. 67
De Hæmorrhoidibus. 67
De Vlcere, & Vulnere, 67
De Tumoribus præternaturalibus, ut ſunt Phlegmone, ſeu Inflammatio, & exanthemata, 68
De Eryſipelate, igneque ſacro, 69
De Syderatione, & Gangræna, 69

De Cancro, & Carcinomate, 69
De Abſceſſu, 70
De Morte. 70

FINIS.

TRA-

TRACTATUS

DE

Extractione fœtus mortui

Per

VNCVM,

AVCTORE

NICOLAO FONTANO,
Medico Amſtelodamenſi.

Magnificis, Clariſſimis, Excellentiſſimiſque viris ac Dominis.

DN. IACOBO VALLENSI, Illuſtriſſimi Principis Auriaci Archiatro.

DN. OTTONI HEVRNIO, in Illuſtri Academia Leydenſi Medicinæ & Anatom. Profeſſ.

DN. NICOLAO TVLPIO, Reipub. Amſteldamenſis Senatori Conſultiſſimo, & Medicinæ Chirurgiæque Profeſſori expertiſſimo.

DN. CASPARI BARLÆO, Medico, & in Illuſtri Lycæo Amſteldamenſi Philoſophię Profeſſori Subtiliſſimo.

DN. ÆGIDIO SNOVKIO, Medico, ejuſdemque civitatis Commiſſario.

DN. ZACUTO LUSITANO, Medico eruditiſſimo.

DN. FOPPISSO FORTUNATO PLEMPIO, in Academia Lovanienſi Medicinæ Profeſſori, cognato ſuo honorando.

MAgnifici ac excellentiſſimi Domini, Intereſt humani generis, ne fœminæ prægnantes, quæ non tam facile, ſed interdum cum vitæ periculo enituntur; ſalutari ope deſtituantur. Quare, cum deprehenderem manualem operationem in tanti momenti negotio ſæpe perperam adhiberi, eamque multis Chirurgis (quod turpe eſt) plane eſſe ignotam; veram, tutiſſimamque methodum ex probatiſſimis auctoribus privato uſui meo conſcri-

ptam ſerio amicorum rogatu in publicum emitto. Vt vero hic tener ingenii mei fœtus à calumnia & invidia tutus ſit; illuſtri nominis veſtri patrocinio, eum commendare volui. Suſcipite itaque viri Ampliſſimi animo benigno hoc qualecunque ſinceri affectus & obſervantiæ meæ in Vos ſignum, veſtrumque Fontanum mutua benevolentia proſequi dignemini. Amſteldami, Kalendis Iulii, M. DC. XXXIII.

Ampliſſimis Dominationibus veſtris addictiſſimus

NICOLAVS FONTANVS.

IN VNCVM

Expertiſsimi Medici,

D. NICOLAI FONTANI.

VNcum olim ac hamum, necis
inſtrumenta probroſæ
Fontanus vitæ cudit in auxilium.

GREG. de AYALA,
Bergezomius.

Candido

Candido Lectori S.

ANtiquiſſimus Medicorum Hippocrates lib. 1. de Morbis mulierum, cum varia de earum affectibus differuiſſet, tandem num. 75. auream hanc ac plane divinam protulit ſententiam : *Periculoſa vero ſunt, & plerumque acuta, & magna, & intellectu difficillima, eo quod mulieres participant morbis, & aliquando neque ipſæ ſciunt, quod ægrotant, priuſquam morbos experiantur à menſibus, & ſeniores factæ fuerint. Tunc autem & neceſſitas, & tempus ipſas morborum cauſam docent : & quandoq; non cognoſcentibus, ex quo morbo ægrotent, morbi incurabiles fiunt, antequam doceatur Medicus ab ægrotante, ex quo morbo ægrotet. Verentur etiam narrare, etiamſi ſciant ; & præ imperitia, ac ignorantia turpe ſibi id eſſe putant. Sed & Medici ſimul peccant, non exacte cauſam morbi percunctantes, ſed velut viriles morbos ſanantes : & multas novi jam ab hujuſmodi affectibus corruptas. Quare ſtatim cauſam exacte interrogare oportet, nam multum differt muliebrium morborum, ac virilium curatio.* Qua ſerie bene perſpecta, recte colligitur, morborum muliebrium curationem multum

tum a virilium differre. Quam ſententiam ſequitur Mauritius Cordęus, Hippocratis interpres. Nam auctore Philoſopho lib. 4. de Generatione animalium cap. 6. *Fœminæ ex nativa ſorte debiliores ſunt, ac frigidiores.* Vt etiam Hippocrates, & Galenus multis in locis aſſeruere. Accedit, quod mulieres in quibuſdam corporis partibus diverſam figurationem a natura accipiant, qua evidentius a viris diſtinguuntur: ut ſunt, uterus, mamillæ, & partes genitales. Quæ varios affectus progignunt, quibus viri non ſunt obnoxii. Vterus enim miram cum præcipuis corporis partibus habet cognationem & ſympathiam: cum cerebro per nervos, & ſpinalis medullæ membranas, cum corde vero per arterias ſpermaticas, & hypogaſtricas conſentit: cum mammis ſervat ſocietatem: hepatis etiam habet proprietatem, cum ventriculo renibuſque itidem ſuum habet conſenſum. Ita ut clare conſtet, nullam prope corporis partem eſſe, cum qua non habeat analogiam admirabilem. ut recte dixerit noſter Senex lib. de Locis in homine; *Vteros omnium muliebrium*

liebrium morborum cauſam eſſe. Quod etiam peritiſſimus Andreas Laurentius notavit Quæſtion. anat. lib. 7. cap. 10. Quod quamvis in omnibus morbis ab utero ſubortis manifeſte conſpiciatur; maxime tamen verum eſſe deprehenditur in iis, qui a partu, vel poſt abortum repullulant. Tunc enim venenatam induunt naturam. Cujus rei manifeſtam rationem reddit Galenus lib. 3. Epid. ſect. 3. com. 73. ubi ait: *Menſtruorum ſuppreſſio offendit, tamen non perinde, ut ſi à partu ſupprimantur, officit: quod non abundantiam modo, ſed inſignem etiam humorum pariat pravitatem. Nam meliorem ſanguinem ad ſe fœtus nutrimenti cauſa alliciens, relinquit deteriorem: ideoque prægnantes pravis humoribus implet, quos à partu evacuat natura.* Ex morbis poſt partum ob motum ſanguinis, menſtrui, ejuſque ebullitionem naſcuntur dolores, & vigiliæ, quibus fœminæ miſere affliguntur. Accedit, quod ſanguis menſtruus commotus ſuapte natura venenatus ſit; & in uteri ergaſtulo coërcitus ſuo turbido; tetroque vapore partes ſuperas vi dira concutiat, labeque inquinet. Vt mo-

nuit Hippocrates lib. 20. de Virg. morb. & Galenus lib. 16. de Loc. aff. cap. 15. nec non Genæſiorum auctores. Quod ſi hæc vera ſunt, ut ſunt veriſſima, in omnibus morbis ab utero ſubortis, quanto magis in iis, qui poſt partum, aut abortum, vel quando fœminæ ob cauſam fœtus mortui difficili partu premuntur, accidunt? ut nuper Vltrajecti vidimus, cum eo eſſemus Amſteldamo accerſiti, cum Chirurgo dexterrimo Petro Bernardi Potgieter, in cauſa mulieris ſenatoriæ, laborantis fœtu mortuo. Cum enim conſuleremus cum expertiſſimis Medicinæ Doctoribus Ioanne Strateno, & Crabbio, quid in tam perplexo caſu agendum eſſet, auditis invicem rationibus, tandem concluſum eſt, Vnci remedio fœminam a funeſto morbo liberandam. Cujus hiſtoriam poſtquā nerravero cauſas fœtus mortui deſcribam, deinde ſigna, & prognoſim, tandem curationem & modum extrahendi per Vncum, ultimo, ut Tractatus ad umbilicum fiat abſolutus, præſervationem earum, quæ ſæpe ob multas cauſas in hunc morbum lethalem incidunt, apponam.

DE

DE
Extractione fœtus mortui
per
V N C V M.

Caput Primum.
Hiſtoria.

Onimeſtris in ætate triginta ſeptem annorum conſtituta, primipara, moderate carnoſa, & gibboſa, antequam ad pariendum ſe accingeret, aquoſi humoris copiam, deinde ſanguinis excrevit. Sævo uteri, & lumborum dolore (ut fere ſolet) triduo concutitur. Fœmina, cum foras non poſſet, ad uteri os fœtum expulit. Hic capite deorſum inclinans, triduo ibi firmatus, veluti ſtrangulatus moritur.

Mortuo fœtu vocantur Medici, qui ad ipſum expellendum, nullum præſidium, quam commodam victus rationem, & potiones diureticas imperant, factas ex decocto *Cinamomi,*

Adianthi, *Arthemiſiæ*, *Sabinæ*, *Ariſtolochiæ*, *Rubiæ*, *Trochiſcis de Myrrha adjectis*: fomentaque utero ejuſdem adhibent facultatis: *Vnguenta emollientia* applicant; *Boracem* multoties propinant, vires refocillant. Quibus non juvantibus, de fœtus mortui extractione cogitant. Qua ſatis feliciter facta, ab obſtetrice ſecundis extractis, ſubſequuta fuit hæmorrhagia, ex ea moritur patiens. Hæc eſt fidelis hujus fœminæ hiſtoria.

CAPVT SECVNDVM.

De Cauſis.

M*Iſeret me profecto*, ut cum Plinio loquar lib. 7. Nat. Hiſt. *humanæ conditionis*, *cum ſæpe abortus cauſa, ſit odor è lucerna exſtincta exhalans.* Quæ enim miſeria major, aut magis miſerãda ſors, quam quæ in ipſo vitæ limine partum proferens, & patiens miſerabili voce Medicorum auxilia implorat? Noli mirari. hæc enim eſt muliebris naturæ conditio, ut in dolore pariat, & in partu ſæpe periclitetur. His ergo malis ut cito ſuccurratur, eorum cauſas perſcrutari eſt neceſſe.

Fœtus

Fœtus moritur ob alimenti penuriam, exhauſto pabulo, vel plethoram nimiam, ob quam, ſicut ignis multa lignorum ſtrue obruitur, ſic fœtus plurima ſanguinis copia, & ſaburra onuſtus, & preſſus ſuffocatur. Perit etiam fœtus ſolutis acetabulis, & laxatis ob humiditatem nimiam: ſaltu, ictu, tuſſi, ſternutamento, equitatione, valido exercitio, nimia inedia, ſuperflua hæmorrhagia, alvi fluxu diuturno, affirmante Hippocrate 5. Aph. 32. Intempeſtiva phlebotomia, ex eodem 5. Aph. 31. Medicamento valido, expurganti exhibito, aſſumptis medicamentis menſes provocantibus, aut amaris, morbo inſendioſo & acuto. hic enim ſanguinem comminuit, ſpiritus reſolvit, vires debilitat, fœtumque occidit, ex 5. Aph. 30. Nam abſumpto pabulo, & enervatis viribus, fœtus occumbit.

Inſuper emoritur fœtus ob partus difficultatem. Vt diſerte notavit Avicenna 21; iij. Tract. 2. cap. 21. *Difficilis enim partus ex multiplici partu dimanat.* Vt libro de Nat. pueri, & libris de Morbis ſæpius Hippocrates dixit. Aliquando fœtus debitum tempus

pus antevertit, & moritur: ſed tunc potius abortus, quam partus dicendus eſt. Accidit ſæpe fœtum mori ex mœrore, timore, triſtitia diutina, repentina & immodica lætitia: ex qua non tantum gravidæ, ſed & aliæ ſæpe exanimantur. Horrenda quoque ſpectra interdum ſunt in cauſa, ut pereat fœtus.

Demum ſunt quædam cauſæ internæ, ob quas fœtus perit & moritur. Vt acetabula mucore plena, & relaxata, quibus fœtus obrutus ſuffocatur. Nam tentrix facultas infirma fœtum ad debitum uſq; tempus retinere nequit, teſtante Sene 5. Aph. 45. Aridae tiam ligamenta, quæ cordarum exſiccatarũ inſtar diſrumpuntur. Sicque corpus nimis gracile, aut craſſum, facit abortum. Ex eodem 5 Aph. 44. Idem tumores præſtant, & ulcera 5. Aph. 43.

Alia cauſa difficultatis partus ſunt vincula fortiora, interdũ inverſa fœtus figura. Sic enim inquit Hippocrates lib. 1. de Morbis mul. *Si puer obliquus aut in pedes procedit, difficilis fit affectio. Interdum exit prius brachium ſolum, aut crura, aut altero pede prorumpit,* *altero*

altero intus detento. Multi in alterutrum latus, aut in ventrem prodeunt, alii vel capite, vel cruribus, vel ventre, vel coxarum vertebris utero incumbunt. Hæ ſunt omnes depravatæ figuræ, ob quas fœtus in utero retentus, exitumque non habens in ore uteri, moritur. Quas tempore anguſtiæ quam citiſſimè cognoſcere oportet & mutare, ne vel ſuffocetur, vel morboſus ſuperſit fœtus, aut mater pereat.

Figura recta fœtus in caput inclinans, eſt optima. Sed non raro accidit, ut vel hydrochephalo in utero puer laborans, exitum per os uteri quærere non poſſit, præ aucta magnitudine, vel quod fœtus habeat caput nimis amplum.

Ex parte matris plures ſunt difficilis partus cauſæ. Nam multoties debilis eſt, ut ſe ipſam juvare nequeat. Quod contingit, ſi antea diuturnum perpeſſa morbum, tunc fœtum excludere non valeat. Quod annoſis & gibboſis ſolet contingere. Nam hujus ſortis fœminę, ob thoracis anguſtiam, & ſtructurā, cum difficulter ſpirent, non valent ſpiritum cohibere, & movere nixus, opus ſummopere ad partum

tum neceſſarium. Quo ſenſu olim dixit Medicorum Princeps lib. 6. Aph. 46. *Gibboſi tuſsiculoſi ſunt, & difficulter anhelant*. Quo malo etiam hæc fœmina laboravit.

Difficilis etiam partus fit ob membranarum fœtum ambientium tenuitatem, & ejus dilacerationem. Tunc enim humore evacuato, partus ob ſiccitatem redditur difficilior, affirmante Galeno lib. 15. de Vſu partiũ cap. 15. Hic humor prodeſt viis omnibus lubricandis.ab eo etiam collum uteri humectatum mollius redditur, dilataturque facilius. Quare illæ,quæ pluribus diebus ante, mucorem, vel aquam ſenſim expurgant, difficulter pariunt. Ocyus enim dilabitur fœtus per madidas, quam vias ſiccas.

Cauſam, cur ſola mulier inter cætera animalia partus difficultate laboret, quære apud Mercurialem lib. 2. de Morbis mul.cap. 3. Ex quo cõſtat, multiplices eſſe internas, & externas partus difficilis cauſas. Hanc mulierem difficili partu oppreſſam fœtum non potuiſſe excludere, certum eſt partim ob capitis magnitudinem, & ejus immobilitatem. quæ, ut Galenus lib. 5.

lib. 5. Aph. Comm. 55. maxime obeſt. pręcipue, *cum duorum corporum vigore opus eſt, & gravidæ mulieris, & infantis:* qui cum mortuus eſſet, exitum non quærens in ore uteri, à natura elidi non potuit.

CAPVT TERTIVM.

De Signis.

INter ſigna præcipua fœtus mortui, eſt privatio motus ipſius infantis. Venter matris frigeſcit, juxta umbilicum dolor gravis adeſt, faciei, & labiorum color liveſcit, oculi obſtupeſcunt, horret naſus: decumbente fœmina, in latus fœtus devolvitur, mammæ extenuantur, humiditates ab utero emanant, fœmina fit ad motum inepta, corpus albicat, languet, molleſcit, capite dolet. Sequitur oris fœtor, obtenebratur viſus, inflantur palpebræ, nulla ciborum adeſt appetentia. Putreſcente fœtu tempora pulſant, rubeſcunt malæ, febres excitantur, inſomnia fiunt turbulenta. Quibus ſignis Avicenna, Aëtius, Paulus, Celſus fœtum mortuum in utero contentum docent cognoſcere.

cere manifeſtè. Et Anteſignanus libro I. de Morb. mul. dum inquit: *Fœtus in ipſa, non circa initia, ſed jam bimeſtris corrumpitur, aut ſuffocatur. Tunc & venter imus intumeſcit; ad contactum dolet, velut ulcere præſente, & febris magna ipſam, ac dentium fremitus corripit, & dolor acutus & vehemens pudenda & imum ventrem, & lumbos, & latera, & coxas. &c.* Ex quo loco ſigna fœtus mortui manifeſte deprehenduntur.

Caput Quartum.

De Prognoſi.

QVantum periculum, & manifeſtam cladem hic fæculentus, & lethalis affectus ſecum adferat, nulli puto non manifeſtum. Si multo tempore fœtus emortuus in utero retineatur, fœminam mortem incurrere neceſſe eſt. Nam ob corruptos vapores & veneficos ab uteri ergaſtulo exhalantes, parteſq; ſuperiores principes (quibuſcum miram ſympathiam obtinet) ferientes & concutientes, horrenda accidunt pathemata, terroris plena. Hinc *Sopor*, *Epyleſia*, *Convulſio*, *Virium reſolutio*, *Apoplexia*, *Syncope*,

cope, *& Cardialgia*, repullulant. Quæ omnia ex putreſcente fœtu, & ichoribus retentis, & corruptis oriri conſuevere. Hinc acutiſſima febris. Cum enim putridę fuligines in propria ſubſtantia cordi communicentur, ipſumque ponant in caleſacto eſſe, elevatæ ad ipſum ab utero per maximas venas, quibus uterus ſcatet, nulli dubium, quin cor primo, deinde univerſum corpus afficiant, & inquinent. De his conſule Galenum lib. 6. Epid. ſect. 1. comm. 2. *Inter omnes* inquit, *corporis partes, plurimas grandiſſimaſque venas uteri habent: cumque eos aut menſes, aut à partu purgamenta ſuppreſſa, aut phlegmone aliqua utcunque orta male accipiunt, ipſos ſanguine compleri neceſſum eſt. Quo deinde putreſcente, ſi febris excitetur, inter Synochorum ſpecies ipſam connumerare opus eſt. (nam id genus febrium ex putrido ſanguine accendi oſtenſum eſt) Hæ verò calentium vaporum vim haud parvam in caput ſubmittunt. Verum capite quavis de cauſa horum vaporum pleno, gravitates maxime in ſincipite hominem vexantes apparere, illi, quibus artis opera curæ ſunt, priùs quam à me audiverint, notum habuerunt, &c.*

Hinc

Hinc immanis ſincipitis dolor, truculenta temporū & mira pulſatio: ob quam ſæpe viſum eſt muſculos temporibus vehemēti ſiſtole, & diaſtole è propria ſede veluti exilire. Hinc delirium Symphaticum, Mentis alienatio, omnium rerum oblivio, & principum facultatum omnimoda jactura. Inde totius corporis horrifica cōvulſio, membrorum tremor, extremorum frigus. Quæ omnia à venenata, deleteria, & exitioſa aura ab utero aſcendente oriri omnibus compertum eſſe reor, qui aureum illud caput 3. lib. 7. de Locis affect. attenta mente perlegerint. Quo loco auctor ab utero auram quandam maleficentiſſimam aſſcendere aſſeverat. Quæ adeò præcipuis partibus eſt inimica, ut ſputi rabioſi, alteriuſve veneni præſentanei inſtar, cor, cæteraque viſcera, (in quorum robore totius vitæ duratio conſiſtit) concutiat, premat, atque fatiget, & tandem innatum ignem reſolvat & exſtinguat. Quare auxiliares manus in hoc funeſtiſſimo morbo ſi non adhibeas ilico, etiamſi iſtud periculum evadat fœmina, manebit tamen uterus lue fœdatus, & tanta

intem-

intẽperie, & imbecillitate infectus, ut vix deinceps corrigi, & emẽdari poſſit. Nam fœtu mortuo, uterus intenſam contrahit frigiditatem, ob quam variis deinde ſæviſſimiſque concutitur ſynthomatis. Eſt ergo hic affectus dirus, & lethalis: ex quo paucæ reviviſcere ſolent. Si tamen quædam hiſtoriæ contrarium ſuadeant, eæ raræ ſunt, & tanquam monſtroſæ habendæ. Quoniam ex iis, *quæ ſemel, aut bis homo videt, non debet pronuntiata medica conficere.* Vt diſerte monet Galenus lib. de Fœtus formatione cap. 1. *Sed ea quæ frequentia ſunt, & magna ex parte accidere ſolent, pro perpetuis habentur in medicina*, juxta ejuſdem mentem, lib. 4. Aph. Comm. 22. Qui idem repetit in Hippocratis laudem, lib. 6. Aph. 58. A juniorum clariſſimis licet traditæ ſint gravidarum hiſtoriæ; quibus oſtenditur, vel ob partus difficultatem, vel caſum aliquem, fœtum mortuum, & putridum aliquandiu geſtatum, etiam putreſcente utero circa umbilicum, abdomen, imum ventrem, & inguinum tumores, aut veſicas, eductum ſponte, vel arte, conſolidatiſque ulceribus, matres

tres abſque ſterilitatis noxâ convaluiſſe. Hæ tamen ſunt de raro contingentibus. Quorum exemplorum deſcriptiones legat, qui velit, apud Albucaſim lib. 2. Chirurgiæ, cap. 66. Alexandrum Benedictum, lib. 25. de Curandis morbis cap. 33. Roſſetum, 21. parte, Sectione Cæſariæ cap. 4. hiſt. 6. Mauritium Cordæum, Comm. 1. ad lib. 1. Hippocratis, de Morb. mul. Textu 11. Caſparum Bauchinũ, in Appendice ad Roſſetum. Langium, lib. 2. Epiſt. 39. Marſilium Cognatum lib. 4. Variar. obſ. cap. 9. Matthæum Cornacem, de Fœtu mortuo, & mirando, Rembertũ Dodonæum, lib. Exemplorum memorab. Quas omnes velut abditas, incognitaſque hiſtorias latè deſcribunt eximii viri ac Medici, Mercatus Donati, lib. 4. de Med. Hiſt. c. 22, Ioannes Schenkius, lib. 4. Obſ. Med. lib. de Fœtibus. quas contemnendas dicunt. Rectè etiam olim Averrhoës 7. Coll. cap. 2. dicebat: *Quemadmodum accidunt monſtra in natura, ſic etiam in arte contingunt* Ex his colligere licet, hunc affectum exitialem ac dirum eſſe. Pro cujus curatione ſequẽtia adjungimus.

CAPVT

CAPVT QVINTVM,

De Curatione.

De curatione nunc ſollicitè agendum eſt, idque duplici de cauſa, & quod hic affectus patriam meam dulciſſimam Amſteldamum quotidie invadat, ejuſq; lectiſſimas fœminas, quarum juvandi magno deſiderio teneor, miris premat calamitatibus, & anguſtiis: deinde, quia hoc negotium magni eſt momenti, & perito artifici maximè conveniens. *Ea enim, quæ ad melius ſanandum non conferunt, prætermittenda ſunt, & , ut Sophiſtica, ab arte excludenda*, juxta Galenum lib. 7. Porrher. Sect. 1. Comm. 36. Qui in iis, quæ ad artis uſum conducunt, diu immorandum eſſe ſæpe proclamat lib. 6. Epid. Sect. 15. Comm. 14. Logicæ quæſtiones prætereundæ, teſte eodem lib. 1. de Locis, cap. 4. Reprehendit etiam lib. 1. Epid. Sect. 3. Comm. 5. in fine, ſui temporis Medicos, *Quod verum artis uſum negligentes, in interpretando Hippocrate nullius frugis ſapientiam commentarentur. Nam obſcura, & quæ ad curandum proſunt, illuſtrant intellectum medicum: Sophiſta verò*

E dum

dum de vocibus, & ſignificatis contendit, ſuum & diſcipulorum tempus conſumit. Quam ob rem tanti viri conſilio ductus hanc provinciam difficilem ſuſcepi, præſertim in vita brevi, & arte longa.

Multiplex vero tradetur à me hujus mali curandi ratio.

Prima, quæ optimam habitaculi & victus rationem conſtituat.

Secunda, quæ uterum dilatet fotibus & ſuffumigiis.

Tertia, quæ fœtum evocet, iis, quæ irritandi uterum vires habent.

Quarta, quæ ore ſumuntur, fœtum expellere nata.

Quinta, quæ auxiliis exterius adhibitis eundem præſtat effectum.

Sexta, qua modus præſcribitur ſimplici manu, vel chirurgicis inſtrumentis, vel unco, ſeu uncinis fœtum ab utero extrahendi.

Vltima Methodum certam tradet, quâ fœminę eodem affectu ſemel, aut bis tentatæ, à recidiva præſerventur.

Quod ad primam: Neceſſe eſt ut fœmina in cubiculo modicè temperato habitet. Nam frigidus aër corrugat uterum, vias coarctat, humiditates

tates ab utero manantes conſtringit, & demum nervoſas partes ferit, & concutit. Calidus aër reſolvit ſpiritus, vires enervat, anhelitum accelerat, vigilium inducit.

Cibus quantitate, qualitate & recto ordine aſſumendus. Quare alimentum modicè, & ſæpe ſumendum, quod ſit citiſſimæ concoctionis, velociſſime diſtribuatur, & in parva quantitate multum nutriat. Materia hujus nutrimenti neceſſe eſt ut vires recreet, ſpiritus refocillet, ſanguinem exhauſtum reparet, & vires jam labeſcentes inſtauret, ac reficiat. Hunc uſum complent ovorum vitella recentia, quæ ad ignem aqua Naphæ aut Meliſſæ, irrorata, & ſaccharo albo inſperſo, tremula facta ſorbeantur. Ejuſdem naturæ ſunt hepata Gallinarum contuſa, jura caponis, phaſiani, & pullarum gallinacearum, offæ ex farinis & ſaccharo concinnatæ, paſtæ regales, conſervæ cardiacæ, & aperientes. Bellaria ex aniſo, cinnamomo, & ſemine fœniculi confecta Scorchioneræ radicem ſaccharo conditam ad facilitandum partum, venenique malitiam retun-

dendam miram facultatem habere ab aromatum ſcrutatoribus traditũ eſt. Vt docet Monardus de hujus herbæ virtute. Prærogativam obtinent *conſervæ Angelicæ, Deoniæ, Eryngij, Stæchados, Roriſmarini, Bugloſſæ, Boragin.* Edulia craſſa difficilis concoctionis vitanda, ut oleracea, herbacea, piſculenta, lacticinia, legumina, carnes fumoſæ, & demũ omnia, quæ craſſum, melancholicum, viſcoſumque ſuccum gignunt. Quorum ſylvam Galenus deſcribit lib. 3. de Loc. aff. cap. 7. Fugienda etiam alimenta aceto mixta, quòd, monente Hippocrate lib. 3. de Rat. victus in morb. acutis. Textu 39. *Vterum nervoſaſq; partes dolore afficiant.* Idem noſter auctor inſigniter doctus in hujus loci commento confirmat.

Potus ſit aqua *Sem. Aniſi, Fœniculi, Cinnamomi, Adianthi, Euphatorii.* Sed maximè à me probatur, ſęviente hyeme, cereviſia tenuis, clara, aliquamdiu ante potum repoſita. Martialis eſt bona, quia roborat, aperit, attenuat, inſcindit, flatus diſcutit, & menſtrua provocat, præcipue cocta cum parva abſinthii quantitate, & magna lupulorum. Nam lupulus ex Meſues & Mathioli

Mathioli auctoritate lib. 4. in Dioſc. capite 1. ſanguinem purificat, attenuat, & obſtructionem aufert. Quod non minus laudat Amatus 2. in Dioſcoridem cap. 134. Et licet Dioſcorides loco citato cap. de Zytho, Avicenna lib. 2. Tract. 2. cap. 279. Paulus lib. 7. Galenus lib. 6. ſimpl. eodem titulo, Brudus lib. 2. de Regimine febricitantium ad Anglos, Chriſtophorus à Vega li. 2. Artis Medicæ, Sect. 3. cap. 2. & alii cereviſiam ex hordeo coctam flatulentam aſſerant; nos tamen contrariam ſententiam ſecuti, dicimus flatulentas ex ſolo hordeo cum phagopyris coctas, ſed minime ex lupulo, abſinthio, & variis aromatibus calidis paratas, & ſupra ignem rite ebullitas. Cereviſiæ loco vinum Gallicum, &, quod melius eſt, Rhenanum ponitur.

Fœmina exerceatur modicè, dormiat ita, ut refocillentur vires, fugiat iram, excandeſcentiam, timorem. Alvum habeat lubricam, nam inteſtina excrementorum onere oppreſſa uterum gravant, & coarctant.

Antequam ad curationem, & applicationem remediorum tam interanorum

norum, quam externorum acceda-
mus, illud primò præfari licet: In ho
affectu urgente, & nullas induci
dante, non levia, ſed fortiſſima præ
ſidia adminiſtranda eſſe, teſte Galen
lib. 6. Meth. cap. 5.

Dicet curioſus aliquis cum G
leno lib. 1. de Locis, cap. 1. & Hippo
crate lib. 6. Epid. Sect. 5. *Cum mo
borum medicatrix natura ſit, expectan
dum naturæ beneficium, & à levioribus
auxiliis incipiendum, quæ ſi nihil prof
cerint, adhibenda majora.* Cui pro ſo
lutione reſpondeo: Hanc veram eſ
opinionem, ſi loquitur de morbi
in quibus periculum non eſt in mor
at ubi ægro moriendum prorſus eſt,
Phthoë ſemel exceptus ſit, alieni
ſimum erit à ratione, à minoribus in
choaſſe. Sicuti illud ab Hippocra
traditur, qui docet: *Ad ultimos mo
bos ultima prorſus remedia maximè v
lere*. Itaque non oportet nos ſeg
nes eſſe cum Ereſiſtrato in tali o
caſione præcipiti caſuque lethali, ſe
cautos & vigiles. Nam juxta *Meſue
non differendum, ſemel enim pereunti nu
la ſuffragia proſunt.* Horum itaque au
ctoritatem ſecutus fortiora & exp
rimen

rimento probata auxilia proponam. Vt ſunt, quæ vias aperiunt, dilatant, emolliunt, ut fœtus meliùs exeant. Quòd præſtant fomenta facta ex decocto *Myrrhæ, Sabinæ, Rubiæ, Matricariæ, Lupulorum, Calaminthi, Prulegii, Thymi, Lauri, Lupinorum, Altheæ, Sem. Lini, Parietariæ, Meliloti, Capitis caſtrati*, injecta olei dulcis copia multa. Vmbilicus cum ſpongia decocto hoc calido imbuta foveatur, vel uſque ad lumbos ingrediatur ſimi-cupium hoc decocto plenum. Quod præſtantiſſimùm a Valeriola habetur l. 7. Obſ. 1. & ſuffumigia ſequentia.

℞. *Thymiamatis,*
Ammeos,
Oppoponacis,
Galbani,
Sulphuris vivi,
Caſtorii,
Cinnamoni, ana ℥ j.
Myrrhæ ℥ ß.
Pulv. Veratri Nigri ℈ ij.
Succi Cucumeris Aſinini ℥ j.
Cum Succo Rutæ & Felle Taurino. Fiant formulæ ciceralæs.

Harum fumus per infundibulum

in uterum acceptus miram præſtat utilitatem.

Tertiam intentionem complent ea remedia, quæ irritando naturam, fœtum evocant. De horum numero ſunt frixiones fortes, ſale & aceto actu calido celebratæ in coxis, femoribus & planta pedis. Ligaturæ fiant in iiſdem partibus fortiſſimæ, & doloriſioæ. Cucurbitulæ iterum atque iterum imponantur infra umbilicum juxta pubem, in femoribus, coxis, plantiſq; pedũ. Hoc auxilium valde deorſum trahere probat Hipp. 7. Aph. 1. Hujus auxilii efficacia refert Galenus libro de Renum dignotione, & medicatione cap. 4. *ſe calculos contumaciter renibus adhærentes extraxiſſe multa flamma cucurbitulæ cum ſtupa impoſita.*

Clyſteres provocantes naturam ad inferiores partes optimi ſunt, parati ex *decocto Centaurei Minoris*, *Ariſtolochiæ, Rotundæ, Caſtorii, Aſſæ fœtidæ, Calaminthæ*, *Bulegii*, *Stœchados*, *Salviæ, Betonicæ, Thymi, Arthemiſiæ, cum Ebtudo injectis granis* 8. vel 10. *Trochiſcorum Alandal. pib. Fœtidarum*, cum *ſale* ʒ ij. & ℥ ij. *olei Caſtorii.*

Si mulier juvenis ſit, carnoſa, rubicunda,

cunda, ſanguinea, eundem affectum paſſa, & fœtus mortuus ex ſanguinis copia ſuffocatus ſit, tutiſſimum erit integris viribus ſanguinē è talo mittere: hujus enim auxilii vi exoneratur natura, plenitudo eximitur, aperiuntur vaſa humore multo oppleta: iiſque dilatatis & expeditis facilius fœtus exit, juxta oraculum Senis lib. 1. de Morb. mulier. num. 100. *Si verò prægnans multo tempore cohibeatur, & parere non poßit, ſed pluribus diebus ex partus doloribus laboret: ſit autem juvenis multo ſanguine referta: ſecare oportet venas in malleolis, & ſanguinem detrahere, virium reſpectu habito.* Et quamvis hunc librum Mercurialis lib. 4. de Morbis mulier. cap. 22. & Ioannes Baptiſta Montanus lib. de Internis affectionibus, ut nothum, & adulterinum explodant, tamen Mauritius Cordæus in Commentariis ſuis in hunc librum, tanquam partum Hippocrate dignum, & nativum illuſtrat. Hanc ſententiam confirmat Ludovicus Mercatus lib. 4. de Puerperarum, & nutricum affectibus, cap. 3. Si vires non ita liberales ſint, tutius erit cucurbitulas ſcarificatas malleolis

E 5 apponere.

apponere. Quo auxilio ad provocanda ea, quæ in utero ſunt contenta, nullum præſtantius Galenus invenit libro de Cur. rat. per ſang. miſſ. cap. 11.

Quartę intentioni ſatisfaciunt, quæ ſumpta per os fœtum expellunt. Inter tot tantaque medicamenta primum ſibi vendicat illud, quod officinis *Borax* ſeu *Chryſiocolla* nuncupatur. De hujus efficacia ad provocandum fœtum mortuum plura Mercurialis lib. de Morb. mul. cap. 3. & Fallopius lib. de Foſſilibus, cap. de Borace conſcripſere. Robuſtis ℈ ij. dantur, aut ʒ j. debilibus ℈ j. ℈ ß. Non ſit præparatus, ſed ſordidus & mucore plenus: ille enim vi ignis facultatem perdit, hic retinet. Qui ſi non habeatur, alter ſubſtituendus in majori copia, cum aqua *Sabinæ*, *Arthemiſiæ*, *aut Rutæ*, vel *decocto Myrrhæ*, *Caſtorii*, *Sem. Dauci*, *Diptamni Cretici*, *Porri*, *pulveris Lumbricorum*; *Syrupo de Arthemiſia adjecto*, *Croco*, & *Galbano*. Aut etiam ſequens pulvis decocto præcedenti ſumptus.

℞. *Trochiſc. Alandal.* ʒ ij.
Myrrhæ, ʒ j. ß.

Medull.

Medull. Colochynthidis, ℥ j.
Aſſæ Fœtidæ,
Diptamni pulv. ana. ℈ j. *cum ſaccharo*,
Fiat pulvis, ſitque doſis, ℥ j.

Hiſce ſi non expellatur,

℞. *Euphorbii*, ℥ j.
Croci Orient. ℈ j.
Decocti Arthemiſiæ ex aqua mellis, ℥ ij.
Fiat hauſtulus.

Vel ſequentes pilulæ bis terve de die ſumendæ.

℞. *Sabinæ*,
Aſſæ Fœtidæ,
Caſtorii,
Galbani,
Diptamni,
Ammoniaci, ana. ℥ j.
Croci Orient. g̃ xvj.
Cum aqua Arthemiſiæ q. ſ. Formentur pilulæ cicerum inſtar. doſis ſit. ℥ j.

Quintam intentionẽ medicamenta, quæ utero, pubi, & toti regioni umbilici applicantur, abſolvunt. ut ſunt ſequentia.

℞. *Medullæ Colochynthidos viridis, & ſucci Rutæ, ana.* ℥ j.

Vnguen. Arthanitæ majoris, ℥ ij.
Olei Caſtorii. ℥ j. ß.
Olei Euphorbij, ℥ j.
Coquantur lento igne ad ſuccorum conſumptionem, & cum cera fiat unguentum.

Hiſce ſi nullum juvamen ſenſerit, ſume fortiora. Quæ à me ita concinnantur.

℞. *Ellebori Nigri,*
Staphis Agriæ,
Ariſtol. Rotundæ,
Pulpæ Colochynthidis,
Ammoniaci, aña. ℥ j ß.
Cum ſucco Rutæ, Felle Taurino, & ſucco Ciclaminis. Fiat Peſſarium digitale, filo ligandum.

Arnoldus cap. de Fœtu mortuo, ſe ſequenti Peſſario indito fœminas à tanto malo ex tempore liberaſſe gloriatur. Quod cum factum videro, credam. Quod ſi hoc ad votum, ut ſuſpicor, non ſtatim ſuccedat, haud abs re fuerit, iterum *Peſſarium* ex iiſdem formare, adjecta ℥ j. *Euphorbii*, cum ℥ j. *Trochiſc. Alandal.*

Si ſecreta ſunt, ut non ſunt, quibus circumforanei omnibus ſe mederi morbis gloriantur; certe hoc hactenus

nus apud me ſervatum eſt, & ab expertiſſimo Chirurgo, Magiſtro Alberto Hop, felici cum ſucceſſu bis probatũ in hoc affectu, me præſente.

Accipe Radicem teneram nucis juglandis recentis, palmi longitudine, eam abrade cultello, quousque attenuetur inſtar digiti minimi.

Hoc Peſſarium utero inde. Ab ejus impoſitione tantus conſurgit fragor, & ardor, ut uterus uri videatur. Ejus acrimonia ſanguis provocatur, & fœtus expellitur.

Idem præſtant Sternutatoria, monſtrante Sene, lib. 5. Aph. 35. ubi ait: *Mulieri, quæ uterinis moleſtatur, aut difficulter parit, superveniens ſternutatio bonum.* Cauſam ſummus Explanator reddit in comment. Quia vehementiori concuſſu, atque fervore partim quidem naturam excitat, partim excernit, quæ partibus corporis firmiter infixa adhærebant. Hæc fiunt ex pulvere *Caſtorii*, *Piperis*, *Aſſæ fœtida*, *Galbani*. Qui pulveres aceto acerrimo & calido permixti naribus indantur. Hiſce ſi unus, aut ad ſummum duobus diebus non curetur, fœminam in præſentiſſimo mortis periculo

lo poſitam, ſi dixero non errabo. Sed miſerabili in miſerrimo ſtatu permanente quid agendũ? Ad fortiora procedendum cenſeo cum Hippocrate, lib. de Exſectione fœtus, hoc eſt, ad Vncum. Qui ſi ritè in uterum injiciatur & ita fœtui applicetur, ut extrahatur, non dubito illam juvante divini Numinis auxilio, a morte ſervandam.

Hanc curandi viam per Vncos Veterum & Iuniorum expertiſſimi propriis experimentis dilucide comprobarunt. Nos quoque eam felici eventu in hac celeberrima Amſteldamenſi urbe ſæpe à Chirurgis doctiſſimis celebratam vidimus. Nec dubita, nam vera fides. Aderant mecum Magiſter Bernardus Potgieter, & Magiſter Albertus Hop, olim civitatis & noſocomii Chirurgorum præfecti. Aderant Medici doctiſſimi, uſuq; feliciſſimi, quorum numerum non deſcribam, ne videar in re tam nota ſoli facem attuliſſe. Quam viàm etiam reipſa ſecuti ſunt parentes noſtri, Medicorum Coryphæi: Cornelius Celſus lib. 7. Chirurgiæ, cap. 29. Paulus lib. 6. cap. 74. de Fœtus mortui extractione,

tractione: ut ex hiſce verbis patet: *Commodi autem ſunt loci ad Vncum infigendum, in iis quæ in caput inferuntur, oculi, occiput, os, palatum, mentum, claviculæ, & circa coſtas & præcordia loci. In his verò, qui in pedes deferuntur, oſſa ſupra pubem & coſtarum inter media ſpacia, & rurſus claviculæ*: Hujus auctoris, ſicut & Celſi mentem explicat Balduinus Ronſęus in Commentario. quibus locis fecere palàm, quomodo Vncinis, & quo ordine fœtus mortuus debeat extra uterum trahi. Eandem ſequitur Aëtius ſententiam Tetrab. 4. Sem. 4. cap. 23. Horum doctrinam comprobant Avic. 21. 3. Tract. 1. cap. 14. de Regimine quorundam antiquorum in extrahendo fœtu mortuo, inquiens: *Et inquirat ubi oportet figere uncinos, quibus fœtus extrahatur, & loca ſuperiora, ut in iis figantur unci.* Hæc medendi methodus à Raſio laudatur 22. Continentis, tract. 7. cap. 5. Benivenio lib. de Abd. cur. cap. 29. Paræo lib. 23. cap. 26. Vido Vidio de Curatione membranatim, cap. 34. lib. 2. Mercuriali loco citato de Morb. mul. Mercato lib. 4. de Morb. mul. cap. 5. R. à Caſtro cap. 2. lib. 4. de Morb.

Morb. mul. H. F. ab Aquapendente part. 1. Chirurgiæ, cap. 86. Maſſaria, lib. 4. de Morb. mul. cap. 12. Foreſto, lib. 28. Obſerv. 78. Capivaccio, lib. 4. de Curand. affect. internis, cap. 9. Bauderonio, libro Praxios, cap. 80. de Part. diff. Ioanne Ieſſenio, lib. Inſt. Chirurgic. cap. 18. de Fœtus vivi, & mortui extractione. Iacobo Ruff, cap. 6. de Hominis partu. Hoc opus a ſe cum ſumma nominis gloria actitatum narrat Valeriola lib. 5. Obſ. med. obſ. 2. Titulo, Quibus mulieribus Arelate ejectus ſit infans Chirurgica manu, matre ſalva. Cujus verba modum ſpectantia, in ſummam contracta ſubjicere placuit.

Modus verus Extractionis.

REſupinam mulierem in lecto collocare oportet declivi poſitu, cruribus valde elatis, atque disjunctis, quæ mulieres utrinque fortiter contineant: aut mulieris pectus vinculis lineis mollibus lectulo firmare oportet; ne corpus attrahentis Chirurgi manum ſequens, vim tractionis diſſolvant. Hippoc. lib. de Fœtus extract. linteo caput tegere jubet, ne videns mulier quæ fiunt, neve ob ferramenta, & uncos terreatur: Sed

Sed præſtat inſtita oculos claudere, quam caput, & os tegere, ne in reſpirando vim patiatur. Tunc verò Chirurgus denudatis & liberis brachiis, manibuſque multo oleo illitis molliter vulvæ alas diducat, & in oſtium uteri leni motu, & blando ſenſim manus inferat, pertentans & diſquirens pueri ſitum ac formam, atque ubinam uncum, quo fœtus extrahatur, defigi conveniat. Nam non omnes loci idonei ſunt, quibus infixi uncini detrahere fœtum poſſint. Præcipui habentur, ſi in caput prolabatur, occiput, oculi, ſed id minus tutum. claviculæ, & ſub coſtis regiones, tutiores ſunt, Hypochondria à Græcis dicta. Si in pedes deſcendat, ad oſſa ſupra pubem infigere uncinum oportet, ne diſrumpatur, quod unco arreptum eſt. Hoc documento poſito, clare liquet, quo ordine & forma fœtus ſit extrahendus manu Chirurgica, matre ſalva.

Iure percunctaberis: Cur, ſi hæc omnia ritè acta à nobis ſunt, mulier noſtra obierit? Reſpondeo: Hoc auxilium non ſatis citò fuiſſe celebratum. Rectè proinde Hippocrates divino oraculo commonefacit, ut ſtatim auxilia adhibeantur. 6. Epid. ſect. 7. Text. 11. *Tabeſcentes ſtatim urere, Hydropicos*

Hydropicos citius ſecare oportet, &c. Vt ſcitè notavit Galenus in Comm. Si adhibere remedia non feſtines, prius quàm robur deficiat, & vires proſternantur, omnis fruſtra deinceps ſuſcipietur labor. Et animadvertit Valeſius in commentariis. Si itaque tempeſtivè adhibitus fuiſſet uncus, non dubito, quin fœmina à fœtu mortuo liberata etiam num ſuperviveret.

Iterum quæres: Cum juxta Pauli & Celſi ſententiam oporteat manus abſtinere à mulieribus in partu laborantibus debilibus, pulſu parvo, languido & inordinato præditis, & inexpugnabili dormiendi neceſſitate correptis, cur huic manu chirurgica fœtus mortuus detractus ſit?

Hæc ab auctoribus citata, vera eſſe lubens fateor. Contrarium tamen in noſtra eveniſſe vera fide atteſtor. Quę quamvis ſex diebus laboraſſet, attamen vivida & alacris erat: cumque ab auxiliis adhibitis levamen nullum inveniret, intrepido animo extractionem ad vitam ſervandam adhiberi voluit. quod in re tam ardua non negavere Medici. pulſus enim undiquaque conſtabat, ad interrogata optimè

mẽ reſpondebat, neque ſoporata, nequr reſoluta erat. in ea proinde juxta ſuperiorum auctorum ſententiam extractio tutiſſime celebrari potuit. Quod vero mortua ſit, ad ſecundarum extractionẽ referendum puto. Cum enim ab obſtetrice erant extractæ, ſecuta Hæmorrhagia, reſolutis viribus animam efflavit.

Dubitabis tertio: Vtrum hoc opus tentandum ſit in muliere debili? Reſpondeo, licere, quamvis Galenus 11. Meth. cap. 19. & primo Aph. 8. & 2. Aph. 29. morituris & deploratis conſulit non eſſe adhibẽdas manus. Quod prius Hippocrates docuit lib. de Arte num. 4. dicens: *Medicinæ eſſe morbos ab ægris in totum tollere, & morborum vehementes impetus obtundere, & eorum, qui à morbo victi ſunt, curationem non aggredi, cum id in confeſſo ſit, quòd Medicina tales ſanare non poteſt.* Contrarium enim idem Galenus nobiſcũ probat lib. 10. Meth. cap. 10. Hiſce verbis: *Quando ſalutis via unica eſt, eaque dubia, neceſſum arbitror his adverſus pericula ire: quoniam quanto ſatius aliquid nonnulla fiducia, vel cum periculo facere, quam ſpe adempta certò perire, tanto profectò ſatius eſt, potentibus.*

tentibus præſidiis pugnare, quam nihil agere. Quod non minus notavit Celſus lib. 2. cap. 10. dicens: *Melius ſit anceps remedium experiri, quam nullum, cum multi citra ſpem mirabiliter ſanentur*, ex Avicenna, 4. 4. Tract. 2. cap. 10. Et ſæpe accidunt monſtra in arte, quemadmodum in natura, dicente Averrh. 7. Coll. cap. 31. Quopropter morituri, ex ſolis præſagiis non ſunt relinquendi: nam, *Multoties*, ut inquit Celſus lib. 2. cap. 6. *deſerti à Medicis convaleſcunt, & ſicut plures moriuntur de quibus Medicus, erat ſecurus, ſic plures ſanantur, de quibus Medicus deſperat.* Vnde olim Poëta cecinit:

Vivere ſpe vidi, qui moriturus erat.

Ex horum documentis liquet, in morbis deſperatis ſedulam diligentiam, extremumque remedium adhibendum eſſe, vulgi calumniâ relictâ, Mediciique famâ poſtpoſitâ. Quam Galenus 7. Meth. cap. 1. pro ægri vita ſervanda neglexit, cum non ignoraret hanc præ rebus cunctis chariſſimam hominibus eſſe, lib. 7. Meth. cap. 6. Dummodo Medicus mortis prædixerit pericula, culpa vocabit, Hippocrate teſte. 1. Prognoſtic.

gnoſtic. 4. & Celſo lib. 5. cap. 26. dum inquit: *Oportet indicare neceſſariis periclitantis, in difficili ſpem eſſe, ne ſi victa ars malo fuerit, vel ignoraſſe Medicus, vel fefelliſſe videatur.*

Quod hæc mortua fuerit, divinæ providentiæ adſcribendum eſt, exclamante Meſue in præfatione praxis ſuæ: *Sanat ſolus languores Deus, & de frugalitatis ſolio produxit in largitate ſua Medicinam, benedictus, glorioſus, & excelſus.* Quare nulla humana ope, nullis artis præſidiis, nullo conſilio, ſed ſola Dei bonitate atque clementia hæc mulier ad vitam reſtitui potuiſſet. In hunc ſenſum canit Regius Pſaltes Pſalmo 102. *Qui ſanat omnes infirmitate tuas, qui redimit de interitu vitam tuam. Qui coronat te in miſericordia & miſerationibus.* Proinde ſumma cum ratione dixit ſapientiſſimus Salomon libro Sapientiæ, cap. 16. *Neque herbam, neque malagma ſanare, ſed Domini ſermonem, qui ſanat omnia. Tu* (ſubdit idem) *es Domine, qui vitæ mortiſque habes poteſtatem, & deducis ad portas mortis & reducis.* Quam ob rem ſcitè loquutus fuit Hippocrates 1. Prognoſticor. 3. *Nec enim oportet ut Medicus quos*

præ

præ manibus habet, ſanos faciat, ſufficit ergo facere ſolum id, quod experientia & ratio ſuadent. Lib. 6. Epid. ſectione 18. Commentario ultimo Contemplator aurea hæc verba in hunc ſenſũ adfert. *Namyſia verò, non ſecus quàm Phætuſa, cujus nuper eſt facta mentio, cum nullum fructum ex Medicorum opere tuliſſet, è vita exceſſit, nec potuit diu vitam producere. Nec tamen hæc nos terrere exempla debent, quo minus mulieribus ita affectis manum admoveamus, ſed excitare potius ut ingenium exacuamus, quo optata conſequamur. Siquidem tunc noſtro officio functi ſumus, cum omnia hæc fecimus, quæ ratio nobis ſuppeditat, & longus uſus peritiaque commonſtrat.* Ex qua ſententia patet, quam bene & quam docte, officio & munere noſtro functi fuimus.

Caput Sextum.

De Præſervatione.

QVoniam vero melius eſt, fœminas à tam funeſto morbo præſervare, quam laborantes liberare, methodum recte vivendi, ne in hoc malum incidant, tradam. Duobus hoc fit modis. Primo rectè inſtituta victus

victus ratione. Secundo, occurrendo ſymthomatis, quorum ſævitie gravidæ oppreſſæ in hunc labuntur morbum, & a mortuo fœtu miſeranda mala, ut oſtenſum, perpetiũtur. Quomodo reluctandum ſit his ſymthomatis, & debellanda ferrago morborum, quibus tempore gravidationis premuntur; non eſt cur inquiramus, cum hoc abunde præſtitere Gyneciorum auctores, nec non Hippocrates. Qui in libris de Morbis mulieribus, de natura pueri, & alibi hoc inſtitutum docte proſecuti ſunt: & explicarunt poſtea Senertus, Foreſtus, Varandæus, Heurnius, Moxius, Heucherus.

Primus itaque modus præſervationis, eſt vitæ inſtitutio. Sit aër temperatus, frigidus enim debilitat; calidus verò vires reſolvit: non ſit valde humidus. hic namque probante Gal. 3. Aph. 5. nervos replet humiditate.

Cibus ſit leviſſimus, facillimæ coctionis, & diſtributionis.

Potus ſit cereviſia tenuis, vinum lymphatum, præſertim decoctum cinnamono.

Odoribus

Odoribus recreentur vires ſuavioribus, graviores enim ex Ariſt. 8. de Hiſt. anim. cap. 24. fœtum exſtinguunt. ut patet in odore exſtinctæ lucernæ, Lætetur, alacriter vivat, fugiat animi pathemata, horrendos aſpectus, & cœli tonantis fragorem. Ab his enim plurimas exanimatas fuiſſe, & fœtus mortuos excreviſſe auctorum ſcientiſſimi confirmant.

De concubitu quæſtio eſt inter auctores, partim eum affirmantes, partim negantes, præcipuè cum fœtui & matri nocivus ſit, & menſtrua provocans: quibus fluentibus impoſſibile eſt fœtum eſſe ſanum, ex Hippocrate lib. 5. Aph. textu 60. tunc enim fœtui ſubtrahitur alimentum. Ex altera parte videtur illis non denegandus concubitus, ſi ſalaces ſunt: nam gravidæ ſuapte natura ſunt libidinoſæ, imo ſolæ inter omnia animalia virum appetunt, ut notavit Philoſophus 7. de Hiſt. anim. cap. 4. cujus ratio quærenda apud Mercur. lib. de Morb. mul. cap. 4.

De hoc inſtituto hæc ſit terminatio. Veneris uſus in primis menſibus vitandus: nam eo tempore fœtus

ſunt

ſunt ſicut fructus recentes, qui moti minima aura delabuntur, uti etiam in poſtremis: alias ſolent fœtus exire muco oppleti: in mediis eſt liber.

De præcipuis auxiliis, purgatione nempe, & ſanguinis miſſione varii varia protulere. In evacuatione per alvum, ſi ſit morbus mitis, infuſis lenibus tota res eſt peragenda: ut Hippocrates 4. Aph. 10. docet. Cujus ſententiam confirmat Petrus Salius libro de Aff. particul. cap. 22. dummodo tempore purgationis uterum, & ventriculum emplaſtris & unguentis roborantibus munias, ac defendas.

De ſanguinis miſſione omnibus Medicis notum eſt fieri poſſe quotidie, quando cogit neceſſitas, modo robuſtæ, ſanguineæ, carnoſæ ſint, & vernum tempus inſtet, quo facultates noſtri corporis rectius ſe habent. Quid? Eſtne à Iuniorum doctiſſimis hoc ſolum pertractatum, urgente affectu, & permittentibus viribus, præſertim à quarto uſque ad ſeptimum menſem? Minime. Nam Antiquiſſimus hoc auxilium exercendum imperavit multis in locis: ut

F clariſ-

clariſſime probat noſtri ſeculi acutiſſimus Doctor Zacutus, Luſitanus lib. 1. de Medicorum Principum Hiſtoria 32. qui in hoc eruditiſſimo pulvere contra opinionem multorum Medicorũ primus inſudavit. Plures ſunt adeo ſanguinis plenæ, præſertim juvenculæ temperata corporis conſtitutione præditæ, ut menſtruo reſtricto ſaltem primis menſibus, magnam ejus copiam reſervent, quam cum concoquere non poſſint, facillime abortiunt. Id dupliciter accidere puta. vel quod ſuffocetur, & obruatur ob copiam ſanguinis fœtus; ut ignis multa lignorum congerie obrutus exſtinguitur; vel quod fœminæ hæ, cum calidæ, & bilioſæ ſint, acrem bilioſumque ſanguinem generent: qui, cum mordax ſit, vaſcula fœtum alligantia ſtimulat, & diſrumpit. Hæc frequentiſſima interna cauſa eſt, ob quam fœtus moritur, abortus fit, & irreparabilia damna contingunt.

Quid agendum, ne ex hoc malo tanta concurrant accidentia? Vena ſecanda eſt. Male enim eorum Medicorum procedunt negotia, qui putant

tant ſe ſpreta phlebotomia, hiſce a tantis malis poſſe præcavere. qui etiam acuto exiſtente morbo hanc renuunt, inde abortum ſequuturum timẽtes. Quod eſt contra Avicennam 21,37.art.2.cap.8. atque Averrhoem 7. coll. cap. 4. qui docent Phlebotomiam minimè noxiam, plethora vigente, gravidæ, vel embrioni, quia non indiget. Sed parce extrahatur monente Gal. lib. de Venæ ſectione adverſus Eraſiſtratum, cap. 5. ventilationis cauſa, diminutioniſque, & quantum affectus & plenitudo deſiderant. qui ſi non extrahatur, vereor ne fœtus ſuffocetur. Iterum repetit Avic. 4. cap. 20. *Si ſanguinem ſpuunt* &c. Si hic ob hanc cauſam ſanguinem mittit, cur nos non ex mediana, quæ non ita vires exhaurit, partite, & parce? Nonne id Celſus jubet lib. 2. cap. 10. Fernelius affirmat lib. 2. de Venæ ſect. cap. 12. inquiens: *Multæ, niſi vena circa quartum menſem reſeretur, abortiunt, fœtus enim copia obruitur*? Nonne hanc methodum ſequuti recentiores? Augenius lib. 5. Epiſt. cap. 7. epiſt. 1. Sylvius Tract. de Menſ. mul. in initio. Amatus 2.
 cent. 89.

cent. 89. Chriſtophorus a Vega in comment. 31. Sentent. lib. 5. Aph. Mercatus lib. 3. de Morb. mul. Rod. à Caſtro lib. 3. de Morb. mul. part.2. cap.21. Mercurialis lib.2. de Morb. mul. cap. 1. Foreſtus lib.28. Obſ. obſ. 67. Renuat licet Altimarus, qui contra horum auctorum praxin debacchatur, & phlebotomiam noxiam docet, nos cum Augenio lib. 5. epiſt. cap.11. epiſt. 1. & Moxio lib. 2. de Cur. mul. morb. acut. cap. 28. noſtraque vera experientia venæ ſectionem maxime hiſce mulierculis utilem & neceſſariam eſſe affirmamus.

Ad præſervandum denique gravidas a fœtu mortuo, præcipuis partibus providendum eſt: nimirum, ventriculo imponēda ſunt emplaſtra roborantia, fœtumque nutrientia. Cordi etiam opitulari neceſſe eſt epythematis lætificantibus, huic viſceri accommodis. Aſſumendi in potu tabellæ parlatæ, pulvereſque cardiaci. Poma odorifera in manu geſtanda ſpiritus refocillantia. Et alia præſtanda, quæ fœminas roborant, fœtumque recreant. Qualia tradunt Avicenna 21, 3. Tract. 2. cap. 2. Mercurialis

curialis lib. 1. de Morb. mul. cap. 4. Ludovicus Mercatus lib. 3. cap. 21.

Hæc ſunt, quæ de hoc atrociſſimo morbo, cum juxta Priſcorum, tum Iuniorum mentem dicenda habui. Quæ ſi placuerint, pergratum mihi erit, non fruſtra me aliquot horas in hac opera conſumpſiſſe: ſin minus, ſaltem occaſionem eruditioribus dediſſe aliquid abſolutius de hac materia ſcribendi. Hoc tantum admonitum velim, me non contendendi ſtudio, ſed ſolius veritatis, & juvandi proximi amore ductum in hanc palæſtram deſcendiſſe.

FINIS.

Ad majorem Dei gloriam.

INDEX CAPITVM.

Caput I. *Hiſtoria, & Occaſio hujus Tractatus.* pag. 85.
Caput II. *De Cauſis.* 86
Caput III. *De Signis.* 91
Caput IV. *De Prognoſi.* 92
Caput V. *De Curatione.* 97
Caput VI. *De Præſervatione.* 118

Errata hæc in nonnullis exemplaribus ſic corrige:

Pag. 20. lin. 18. lege Pulmonis. Pag. 100. lin. 5. Peoniæ. Pag. 104. lin. 24. Pulegii. Ibid. lin. 25. Et, Indo, Ibid. lin. 27. pil.

FINIS.

L 146684

Digitized by Google

INDEX CAPITVM.

CAput I. *Hiſtoria, & Occaſio hujus Tractatus.* pag. 85.
Caput II. *De Cauſis.* 86
Caput III. *De Signis.* 91
Caput IV. *De Prognoſi.* 92
Caput V. *De Curatione.* 97
Caput VI. *De Præſervatione.* 118

Errata hæc in nonnullis exemplaribus ſic corrige:

Pag. 20. lin. 18. lege Pulmonis. Pag. 100. lin. 5. Peoniæ. Pag. 104. lin. 24. Pulegii. Ibid. lin. 25. Et Indo. Ibid. lin. 27. pil.

FINIS.

A01 1466884